



1735.

1. Birckenstock, J. Pannartz: De obligationibus et actibus
iustis, illarum natura, vi, potestate atque effectu
cum ex placitis juris civilis, tum ex principis juris
naturae et gentium.
2. Fack, Hermann Paulus: De eo, quod iustum est circa
punctum honoris vixque omnia d' honneur.
3. Logzen, Joann Michael: De iustitia, seu re iura hominum
universali ad actonam felicitatem
4. Fack, Hermann Paulus: De pacto reservati Domini in ven-
ditiōe usque ad pretii residui solutionem, ejusque
effectibus iniquioribus in concursu potestimum
creditorum.
5. Reinhardt, Tobias Jacob; Facult. juris d. decanus:
ad... Dissertationem in eum (Christiani Gottlieb Schmei)
iuritate.
6. Reinhardt, Tobias Jacob, Facult. juris d. decanus.
ad... Dissertationem in eum... (Christiani Mülleri) iuritate



7. Reinhardt, Tobias Jacob, Facult. juris esse decanus
... et disertationem in unum (Guilhelm. Haude & Hickmann)
instituta.
8. Reinhardt, Tobias Jac.: De qualitate actuum et
exceptionum in processu executionis.
9. Reinhardt, Tobias Jac.: De testamento imperfecto
perfectum infirmante.
10. Schen, Christian Gualtero: De venia aetatis
11. Tsch, Herman Paulus: De raro ac exiguo usu
processus possessorii ordinarii, per sententiam
in summarissimo latam reservati.
12. Schorchus, Hieronymus Fredericus: De eo, quod honestum,
justum et decorum est circa defensionem inquisiti.
13. Schuesler, Christianus: De eo, quod circa expensas
inquisitorias et criminales justum est.
14. Simon, Antonius Hieronymus: De jure consueudinario

15. Stahlis, Fr. Joannes: Dissertationes inq. medicis, sistens in Nosologiam sive morborum, quos in se ipso ceptus est, enarrationem.
16. Heltze, Frider. Leobold: De mariti obtrati in Louis uxoris uti competentis usus factos renunciatione, quatenus valeat?
17. Streckler, Cons. Wilhelmus: De causis, quae mortem ab usus factu bonorum uxoris excludunt?
18. Streckler, Cons. Wilhelmus: De praetoris bellici, quem vulgo auditorem vocant, officio in causis criminalibus.
19. Streckler, Cons. Wilhelmus: De advocato praevanitate.
20. Streckler, Cons. Wilhelmus: Dimittenda inag. farsica ad legem Pompejanam de pariteris?
- 21^a = 26^a Streckler, Cons. Wilm.: De fide et legalitate medici in investiganda veritatem lethali

2 Junij 1735 - 1756.

22. Strecke, Cas. Wilhelmus: De nullitate alienationis
hereditatis absentis ante tempus legitimum a cura-
tore factae.
23. ¹⁷³²/₂ Strecke, Cas. Wilhelmus: De fideicommissis sub
clausula: quicquid post mortem superaverit, relicto.
2. Mart. 1735. & 1753.
24. Streit, Dr. Philippus, Facult. juridicae decanus (et orator
laticonus in reg. (Joann. Gottlieb. Osanni) invitat.
25. Streit, Dr. Philippus, Facult. juridicae decanus: . . .
ad dissertationem in reg. (Christiani Gottloffii Holstii)
invitat.
26. Streit, Dr. Philippus, Facult. juridicae decanus . . .
ad dissertationem in reg. (Christiani Jacobi Federst
Goeschelii) invitat.
27. Fuch, Hermann Paulus: De observantia statutorum
municipalium in municipiis non probanda.

17735,1 4

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE

**OBLIGATIONIBVS
ET ACTIONIBVS,**

ILLARVM NATVRA, VI, POTE-
STATE ATQVE EFFECTV CVM EX
PLACITIS IVRIS CIVILIS, TVM EX PRINCI-
PIIS IVRIS NATVRÆ ET GENTIVM.

JVNCTA

P. 82.
**DIGRESSIONE CANONICA
DE
PRÆBENDIS ET DIGNITATIBVS.**

QVAM
EX DECRETO

**INCLYTÆ FACVLTATIS IVRIDICÆ
IN ALMA VNIVERSITATE ERFORDIENSI
DEO ASPIRANTE ET PRÆSIDE
PRO SVMMIS IN VTROQVE IURE HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS CONSEQVENDIS**

PVBLICÆ DISPVTTATIONI EXPONIT

J. CONRADVS BIRCKENSTOCK

Erbacensis Rbingavus.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI HORIS CONSVETIS
DIE XVII. OCTOBR. A. MDCCXXXV.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



DE
OBLIGATIONIBVS
ET ACTIONIBVS

IN IURIS NATVRAE VI POTEST
ET ALIIS REBUS
HABERE IUS IN RE ET ALIIS
REBUS NATVRAE ET DENIQUE

IN REBUS NATVRAE ET DENIQUE
IN REBUS NATVRAE ET DENIQUE

IN REBUS NATVRAE ET DENIQUE
IN REBUS NATVRAE ET DENIQUE

IN REBUS NATVRAE ET DENIQUE
IN REBUS NATVRAE ET DENIQUE

IN REBUS NATVRAE ET DENIQUE
IN REBUS NATVRAE ET DENIQUE

2.
1.



PRÆFATIO

ad Lectorem.

DOctorali laureâ propitio numine insigniendus sisto
oculis & iudicio tuo Lector benevole tractatum de
obligationibus & actionibus, cum inserta digressione
Canonica de Præbendis, & dignitatibus: & apici-
bus juris, & interpretum sententiis, sine iactantia dixero,
illustrem. An universè, quod egi, placiturum sit, nescio; for-
tasse enim per nimias Juris nostri difficultates, atque inutilis
hodie inspectionis, discussio nostra ambulat, fortasse argumen-
tis consistere debuerat ad praxin, ut ajunt, & temporibus no-
stris accommodatis? Sed quid hæc me sollicitum tenent,
quando ita comparatum est hominibus, ut nec udus nec sudus
Jupiter omnibus placeat? attamen & Causas, cur eundem
præ aliis pro aula mea doctorali selegerim, habui non leves,
quas uti ignorare te nolui, ita quin mecum probaturus sis, nul-
lus dubito: scilicet subterfugienda præprimis impræsentiarum
odia duxi ac crism, quibus enucleandam forte Juris Publici
(hujusmodi enim cæteroquin præplacuisse) materiam, utpo-
te his quæ vivimus temporibus delicatam exposuissem; præter-
ea verò illorum consuetudinem abhorruis, qui alienos partus
edita pridem celeberrimorum Auctorum argumenta consarcinando
exscribendoque, præfixis plerumque speciosis inscriptionibus, in-
digno plagii crimine pro suis venditare non erubescunt, neque
mibi animus fuit hac meâ tractatione nomen ac laudem aucu-
) (pari

PRÆFATIO.

pari, sed pro recepto Universitatum more amplam satis disputationi inaugurali, quæ acquisitæ in Academiis legitimæ scientiæ specimen ac laurea præludium esse solet, subministrare materiam, ex iis videlicet, quæ ibidem tradit convenit, aut certè hucusque moris fuit, successus enim illi felices expectent, qui præceos hodie in Universitatibus docendæ se fecerint auctores: Verùm instar omnium erit, si candidè, quod res est, dixerò, nempe propositum mihi fuisse hætenus, gradum, si quidem rationes meæ id viderentur exigere, suscipiendi in Universitate Lovaniensi, quod Æ olim ductu celeberrimorum ejus temporis Virorum ibidem non modo pluribus annis addiscendo Universo juri operam, sed Æ consuetam ut vocant specimina præstitissem, proin merito eidem universitati, ut in qua genuina Æ avita jurisprudentia adhuc unice colitur, hanc meam dissertationem, præcipuas sane juris nostri subtilitates tangentem, accommodare necessum, mutato autem repente consilio eandem mutanda tempus me non habuisse. Interim spero ut ea ipsa qualiscumque est, digna ubique videri possit disputatione inaugurali, quodli vero ad utilitatem tuam, quæ discussi quæque ad exercitationem tractavi, tibi visa fuerint Benigne lector conducere, obtinero quod in votis habui, mihiq; ipse gratulabor, quasi qui operæ præmium abunde consecutus sim.

Vale.

DISPV.



DISPUTATIO JURIDICA
DE OBLIGATIONIBVS ET
ACTIONIBVS.

CVM
DIGRESSIONE CANONICA
DE
PRAEBENDIS ET DIGNI-
TATIBVS.

§. I.



Obligatio, quod Imperator JUSTINIANVS tyronum animis in primis suis jurisprudentiae elementis seu Institutionibus inculcat, *juris vinculum est, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvenda*; quod additur, secundum nostrae civitatis jura, si quid rigidius interpretur, supervacuum videri potest, nisi quis dixerit ejus hic tantum obligationis notionem tradi, quam vulgo *naturalem* simul ac *civilem* nuncupant. Etenim cum ad praestandum aliquid subinde nos adstringat sola aequitas ac naturae regula, interdum mera juris subtilitas, ut plurimum autem & juris simul & naturae ratio, haud

A

haud abs re ac docendi gratia passim statuunt obligationem aliam purè naturalem, aliam merè civilem, naturalem simul ac civilem aliam. Quamquam qui acutius rem aestimant, eam quæ purè civilis sit, ex obligationum classe ablegent; Obligationem enim etsi juris vinculum faciat, natura tamen vinculum subit, necesse est. Igitur de utriusque fontibus ex placitis juris nostri videamus, tum quæ earum vis sit ac potestas.

§. II.

Porro ipsam conventionem id est consensum agentium præcipuum omnis obligationis fontem esse perspicuum est, quæ si non ultra placiti terminos serpat, pactum conventum dicitur, atque à plerisque nudum vocatur, ac naturalem duntaxat parit obligationem. Sin externo legis adminiculo aut imbuatur, aut juvetur, ut non tantum ex fide, pudore, ac conscientia vinculo debitor obstringatur, sed & actio adversus eum prodita sit, id est jus persequendi in iudicio, contractus, aut pactum, ut ajunt, vestitum est, naturalem simul ac civilem obligationem continens. Merito autem legum conditoribus placuit, ut ex pacto convento naturalis tantummodo obligatio oriatur; nam præterquam quòd temere prolatorum facile aliquem poeniteat, visum est non omnia judiciali severitate arctare, sed agentium fidei quædam relinquere; atque hæc ut optimâ ratione constituta sint, habet tamen pactum conventum effectus juris omnes, solâ actione demptâ, parit soluti retentionem, etenim indebiti condictio ex æquo & bono introducta quòd alterius apud alium deprehenditur, revocare consuevit. *l. 66. ff. de condit. indeb.* at justior esse nequit retentionis ratio, quam ubi solutum est id, cujus solvendi necessitatem neque legis imperium, neque iudicis, sed natura iussio imposuit. Hinc elegans est Africani responsum in *l. 38. ff. eod. frater à fratre cum in ejusdem potestate esset, pecuniam mutuatus post mortem patris ei solvit.* Cum de repetenda pecunia quæstio emerisset, scribit Jurisconsultus & rectè, *utique quidem pro ea parte, quæ ipse patri heres extitisset, repetiturum, quòd naturalis obligatio*

gatio patri quaesita pro ea parte sublata esset, quâ frater debitor ei heres extiterat, pro ea verò parte, quâ frater creditor heres extitit, ita demum repetiturum, *si non minus ex peculio suo ad fratrem pervenisset*. Nam peculii acquisitio confusionem inducit obligationum. Constitui quoque, quod pacto convento debetur, rectè potest, compensationem admittit, novationem, pignora, fidejussores.

§. III.

Hæc de pactis conventis ita procedunt, si per se sola spectentur; Nam si negotiis bonæ fidei in continenti adjiciantur, actionem pariunt utique talem, qualis ex ipso, cui accedunt, contractu nascitur. Creduntur quippe tum pars esse ipsius contractûs, contractum ipsum informare *L. 7. §. 5. ff. de pactis*. Sin stricti juris judiciis, quibus ab uno dumtaxat latere obligatio oritur, etiam in continenti pactum adjiciatur, ad excipiendum quidem reo proderit, si in ejus favorem conceptum sit, ad agendum autem creditorem non juvabit. Neque his contraria sunt, quæ PAULUS scribit in pervulgata lege *40. ff. de reb. cred.* Ex intervallo adjecta non tantum ad excipiendum valent, sed & ad agendum, utique in bonæ fidei judiciis, in quibus utrumque obligatio consistit, si *detrahentia* fuerint, non autem si fuerint *adjicientia*. Detrahentia autem, aut adjicientia non ex eo vocantur, quòd præjacentem obligationem minuant, vel augeant, sed ex eo unice, quòd contractûs adminicula tantummodo concernant, vel circa contractûs substantiam versentur. Hæc detrahentia sunt, adjicientia illa. Atque hæc discretè tradita sunt à PAVINIANO in *l. 72. ff. de contrab. emt. Pacta conventa*, inquit, *quæ postea detrahunt aliquid emtionis, contineri contractû videntur, quæ verò adjiciunt, creditimus non inesse, quod locum habet in his, quæ adminicula sunt emtionis, veluti ne cautio dupla præstetur, aut ut cum fidejussore cautio dupla præstetur*. Itaque si perfectâ emtione etiam ex intervallo de minuendo pretio convenerit, parietur emtori ipso jure exceptio; sin contra de augendo; venditori actio dabitur ad id, quod amplius placuit, etenim cum

substantia emtionis in pretio consistat , recessum à priore contractu & nova emtio intercessisse videbitur.

§. IV.

Cœterum pacta conventa aut expressa sunt, ut cum palam quid actum est, aut tacita, quæ aut præsumpta mens aut legis assistentia inducit: suntque vel obligatoria, vel liberatoria. Atque ita si debitori meo cautionem reddiderim, videtur inter nos convenisse ne petam, proderitque ei tacite conventionis exceptio *l. 2. §. 1. ff. de pact.* nisi apud creditorem dux essent ejusdem pecuniæ cautiones; tum quippe unius reddicio liberationem non pariet. Vis autem liberatorii pacti ea est, ut naturalis, quæ suberat, obligatio ipso jure perimatur, civilis ope dumtaxat exceptionis, quoniam ut obligatorio pacto naturalem placuit obligationem produci, civilem produci non posse, ita visum est, naturalem obligationem liberatorio pacto ipso jure perimi, non perimi civilem. Plane liberatoria pacta aut in rem concepta sunt, aut in personam; quamquam ex eo, quod persona comprehensa sit, non continuo personale pactum dicendum sit. *Plerumque enim, ut et Pedius ait, persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, cum quo pactum factum est. l. 7. §. 8. ff. eod.* Prodest autem liberatorium pactum in rem non tantum reo paciscenti, sed & heredi & fidejussori, adeo ut si reus postquam pactus sit à se non peti pecuniam, ideoque cœpit id pactum fidejussori quoque prodesse, pactus sit, ut à se peti liceat, rei quidem exceptio ex priore pacto nata, propter posterius pactum replicatione elidetur, at fidejussoris non item, ne semel adquisita ei pacto exceptio ulterius ei invito extorqueatur. *l. ult. ff. eod.* Hæc de pacto rei seu debitoris principalis. Quod si fidejussor etiam in rem pactus sit, non proderit id pactum reo. Cur obsecro tam variè? quia universè placuit, numquam ad alium pacti virtutem protendi, nisi paciscentis intersit, ut alteri quoque profit; Rei autem interest plurimum, ex pacto à se interposito exceptionem quoque fidejussori quari, ne is à creditore effi-

caci-
citer

caciter conventus mox, quod solvit, à reo recuperet mandati vel negotiorum gestorum actione. At fidejussoris interest nihil, sitne reus à creditore liberatus, an obstructus ei permaneat, dummodo ipse liberationem fuerit consecutus. Unde & fidejussor si exceptione pacti ne à se petatur interpositi omisâ solverit, mandati actionem adversus debitorem habet, non item si omiserit exceptionem ex persona ipsius debitoris ortam.

DIGRESSIO CANONICA

D E

Præbendis & dignitatibus.

Beneficium Ecclesiasticum, de quo sub hoc titulo agitur, vulgo dicunt esse jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis propter officium, seu ministerium sacrae functionis; unde in beneficiis Ecclesiasticis usitatâ in scholis voce aliud ajunt esse *præbendam*, *Canoniam* aliud. Hæc jus est peragendi spiritualis ministerii, illa perceptionem denotat emolumenti temporalis. Nomina, & quod caput est, res ipsa penitus inæognita, si sanctissimas Christi Domini institutiones, Apostolorum ad nos & exemplo transmissas & doctrinâ, atque ipsam adeo, quæ defœcatis viguit Ecclesiæ temporibus, disciplinam compositis animis attendamus. Etenim ut hoc primum dicamus, Ecclesia Hierosolymitana facultates omnes ex votivis credentium donis collectas unamque ad massam redactas in usus pauperum ac ministrorum Evangelii æquâ distributione partiebatur. Sed & ipsi fideles quæ propria possidebant, unum conferebant in cumulum, ne quid suum quis vindicaret, sed essent omnibus omnia communia. *Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones & substantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat Act. 2.* Quod autem Ecclesiastica beneficia singulariter attinet, circiter annum 470. cautum est, ut in quatuor portiones universa Ecclesiæ facultates distribuerentur. Quod & post innovavit GELA-

A 3

SIVS

SIVS Papa can. 27. *caus. 12. quest. 2.* quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesie facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones, quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda. Hac ipsa autem rerum Ecclesiasticarum tempestate principes agros publicos militibus elargiebantur, ut alii moenia urbesque adversus externum impetum defenderent, alii civilibus negotiis superessent, alii domi militæque res imperii curarent. Atque hi quidem agri, qui lingua Francâ & Lombardicâ feuda dicebantur, latinâ voce nominabantur beneficia, quasi à regio munere perfecta. Earum ad exemplum fundi Ecclesiastici proventusque coeperunt & beneficia vocari, postquam jam non amplius, ut in antiqua Ecclesie disciplina vi ipsa ordinationis, per quam incardinabantur Ecclesie, à cujus antistite erant consecrati, dabaturque ex assignata portione, si & quantum quisque indigeret, postquam non amplius, inquam, vi ipsâ ordinationis, sed jure tituli è bonis Deo dicatis suam Clerici singulatim sustentationem percipiunt.

§. V.

Persequamur superiorem tractationem, fontesque, è quibus naturalis simul ac civilis obligatio dimanat, exhibeamus. Varios ostendit *MODESTINVS* in l. 52. ff. de Oblig. & Act. Obligamur, ait, aut re, aut verbis, aut simul utroque, aut consensu, aut lege, aut jure honorario, aut necessitate, aut peccato, singula dein exemplis illustrat, sed ea persequi nostri nunc non est instituti, ne in voluminis justî molem excreseat dissertatio nostra; De obligatione, quæ verbis contrahitur, id est præcedente interrogatione, secutaque responsione congruâ, quæ stipulatio vocatur, quasi à stipulo seu firmitate, quia operosior sit in jure nostro, difficiliorque inspectio, uberem discussionis materiam suppeditabit. Ac primum quidem ita jus est, ut non nisi verbis, iisque, ut dictum, congruis contrahi valeat. Unde si quis interroganti sine verbis adnuat, stipulatio non intelligitur. Sed nec naturaliter quasi ex pacto obligatum iri qui ita adnuat, ab *ULPIANO* traditum est in l. 1. §. 2. ff. de V. O.

Quod

Quod tamen haud ita crudè accipiendum opinor, ut numquam hujusmodi stipulatio vim pacti utilis habeat. Est porro omnis obligatio vel in dando, vel in tradendo, vel in faciendo. An dare quis obstrictus sit, an tradere, refert plurimum. Qui dare stipulanti debet, jure non liberabitur, si aut rem tradiderit alienam, aut suam quidem, sed pignoris nexu alii obligatam *l. 20. ff. de solut.* sed necesse est, ut stipulatorem efficiat dominum quoquo modo *l. 75. §. fin. ff. de V. O.* Ubi contra ad tradendum obstrictus liberationem utrobique hæcenus consequitur, donec res evincatur. In faciendi obligationibus an factum ipsum versetur, an id unicè, quod creditoris interest, vetus est jurgium: Verius videtur ab initio factum ipsum conventionem comprehensum ita deberi, ut si illud ante litem contestatam præster debitor, liberetur, quodsi tempus intra quod fieri debuit elapsum sit, solum id, quod interest, id est, pecuniam numeratam deberi, *l. 72. princ. l. 113. §. ult. ff. de V. O. l. 13. ff. de re judic.* eoquod contemnatio nisi in id quod interest fieri non possit, ne delusoria reddatur judicantis majestas, dum præfractè obsequi renuit, cui invito factum extorqueri nequeat. Existimant aliqui idem juris esse in obligationibus tradendi, at non rectè.

§. VI.

In hoc sanè utraque convenit obligatio tam in tradendo, quam in faciendo, quòd divisionem non recipiat, atque hac ratione comparantur inter se in *l. 72. ff. de V. O.* Divisionem autem respuunt obligationes aut naturà, veluti si viam, iter, actum quis promiserit, aut præstatione, veluti si hominem, lancem aut quodlibet vas aliud debeat quis, *l. 2. §. 1. ff. eod.* aut demum conditione obligationis, sic pignoris causa (nam pignus ipsùm dividuum est) individua dicitur. Atque harum rerum sequela est non una: primò servitutem nemo jure constituit, nisi qui fundi dominus sit totius pro toto, sed nec alii constitui servitus potest. Is verò qui hominem debet, si partem sibi, puta, aut Pamphili etiam volenti creditori solverit, nondum in ulla parte nata ei erit obligationis liberatio, sed aut in pendenti erit, donec ejusdem hominis pars altera

altera detur, aut confestim pars soluta condici poterit *d. l. 2.* Atque eadem est alternativa obligationis conditio. Pignoris autem causa hac ratione individua dicitur, quod pignus totum obligatum maneat, donec vel obolus permaneat è sorte solvendus; atque hujus quidem rei utilitas perspicue magis elucet, si promissorem itineris puta aut via duobus singas heredibus relictiis decessisse, etenim adversus heredes singulos in solidum stipulator experitur, ut tamen unus judicio conventus constituere solus servitutem nequeat, neque in totum, neque pro parte, non in totum, quia fundi hereditarii non est dominus totius pro toto, non pro parte, quia constitutionem pro parte servitus respuit. Quo igitur modo heredes singuli in solidum conveniuntur? Nempe hic exitus est iudicii, ut adversus unum agente stipulatore necesse habeat iudex & coheredi tempus praestituere, ut ambo simul constituent, qui si vocatus non compareat, in solidam; qui conventus est, servitutis aestimationem condemnatur, partem dein recuperaturus à coherede familiae eriscunda iudicio. Pari jure plures stipulatoris heredes in solidum adversus promissorem contendunt, *d. l. 2. ff. de V. O.* ut nec uni tamen constitui servitus possit; cum hereditarium praedium non sit totum ejus pro toto. Fiet itaque & hic in exitu iudicii condemnatio in aestimationem; sed pro parte dumtaxat ejus, qui agit, hereditaria. *P. 25. §. 9. ff. fam. ercis.* ex iisdem ferè principiis fuit, quod PAPINIANS tradit in *l. 65. ff. de evict.* in hanc sententiam: *rem hereditariam pignori obligatam heredes vendiderunt, & evictionis nomine pro partibus hereditariis sponponderunt, cum alter pignus pro parte liberasset (cessante altero & pro sua parte solvere) rem creditor evicit (totam utique emtori) querebatur, an uterque heredum conveniri possit (ob evictionem) idque placebat propter indivisam pignoris causam, quamvis enim personali obligatione exoneratus sit is, qui pro parte sua hereditaria solvit, tamen adversus eum pignoris persecutionem durare ex rescripto Imperatoris GORDIANI in *l. 2. cod. de luit. pig.* intelligitur. Cui simile est, quod usufructu uxori legato donec ei dos solvatur, tam-*

est

etsi ei heres unus pro sua parte satisdederit, si tamen reliqui satis non dent, pro ea parte mulier usufructum habere non desinat. arg. *L. 44. §. pen. ff. fam. ercis.* quamvis enim usufructus, secus ac aliæ servitutes, maxime dividuus sit naturâ suâ, atque hac præcisè attentâ LABEO in *l. 30. ff. de usu et usufr. leg.* diversum scripserit, illud tamen quod diximus, & voluntati testatoris & rationi juris magis congruum videtur. Pœnæ adjectio, si contra, quàm cautum est, factum erit, dividuamne, an individuam obligationem efficiat, ex eo aestimandum est, num quod ab uno factum, ab omnibus factum videatur, quod nisi in solidum peccari non possit, quo casu mortuo promissore, si ex pluribus heredibus unus contra quàm cautum sit fecerit, ab omnibus heredibus pœna committetur pro portione hereditaria; sin in solidum non peccatur, tum is heres qui adversus ea fecit, pro portione sua solum pœnam committet *l. 4. §. Caro i. ff. de V. O.* Plane quoties promissâ fors est, & si ea soluta non esset, pœna, etiamsi unus ex heredibus portionem suam ex sorte solverit, nihilominus pœnam committi, donec portio coheredis solvatur, POMPONIVS ait *l. 5. §. 3. ff. eod.* Quid tamen haud rectè ad unius emphyteutæ heredes trahetur, quasi uno non solvente canonem intra præstituta legibus temporaria, etiam eorum, qui solverunt, pars, id est emphyteusis tota committatur.

§. VII.

Ubi verò divisionem obligatio recipit, ex lege XII. Tabularum in heredes descendit pro partibus hereditariis divisâ, etsi defunctus in solidum teneretur, finge etiam, quod suâ id conventionione egisset, ut unus nominatim heredum totius solutione oneraretur. Rei speciem eleganter proponit JULIANUS in *l. 56. §. 1. ff. de V. O.* *Te et Titium heredem tuum decem daturum spondes? Titii persona supervacua comprehensa est, siue enim solus heres extiterit, in solidum tenebitur, siue pro parte (si coheredes habeat) eodem modo, quo ceteri coheredes ejus, obligabitur, id est, non ultra portionem hereditariam. Imo amplius, in quo difficultatis cardo vertitur,*

B

titur,

titur, *quamvis convenisse videatur, ne ab alio herede, quam à Titio peteretur, tamen inutile pactum, conventum coheredibus ejus erit, ac proin obligationem defuncti non minus, quam Titius, pro hereditaria portione persolvere coheredes tenebuntur.* Hic inquam cardo vertitur difficultatis summæ, etenim uni nominatim heredum liberando consulere certo jure ac lege concessum est, scriptum id disertè à CELSO in l. 33. ff. de pact. Avus, inquit, neptis nomine, quam ex filio habebat, dotem promisit, & pactus est, ne à se neve à filio suo dos peteretur. Decessit relicto filio & coherede alio. Si à coherede filii dos petatur (utique pro hereditaria ejus portione) ipse quidem exceptione conventionis tuendus non erit, filius vero & ipse pro hereditaria sua portione à creditore conventus exceptione conventionis (à defuncto interpositæ) rectè utetur, quippe heredi consuli concessum est, nec quidquam obstat uni tantum ex heredibus providere. Rectè, nam idcirco quòd uni consulatur, non gravatur alter totius obligationis persolutione, sed pro parte tantum hereditaria, nullà exceptione juvandus, jam verò ubi defunctus unum nominatim heredum in solidum gravavit, id tacitè egit, ut cæteri liberentur, negat tamen Julianus pactum conventum in proposita specie coheredibus utile fore, ac proin partem debiti consequetur creditor à Titio, consequetur & à coheredibus, optimâ ratione.

§. VIII.

Obligare verò suâ se conventionem possunt, quibus & intellectus est, ut norint, quid agant, & libera rerum administratio, quòd aliàs lubrico sæpe ætatis patrimonio perderent. Hinc cui bonis interdictum est, licet stipulando, paciscendove sibi acquirat, tamen promittendo obligari nequit l. 6. ff. de V. O. interdicatur autem lege XII. Tabularum bonorum suorum administratio prodigo, qui neque tempus neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando dissipat. Solent quippe prætores vel præsides, si talem hominem invenerint, curatorem ei dare exemplo furiosi. Idem de pupillo sine tutoris autoritate agente scriptum

scriptum est. *Quod pupillus, inquit NERATIUS l. 41. ff. de condict. indeb. sine tutoris autoritate stipulanti promiserit. solve- rit, repetitio est, quia nec natura debet.* Idem de minore sub curatela constituto. Hoc tamen pupillum inter & mino- rem discriminis intercedit, quod ille, nisi tutor accesserit, nullam nec merè quidem personalem obligationem ut ut minimè cum bonis sit connexa, contrahere jure valeat, va- leat hic, quod hic liberam habeat personam, ille non ha- beat. Atque huc pertinere opinor Modestini responsum in l. 101. ff. de V. O. Puberes sine curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari (nisi malis ibidem legere obligare) ac quod PAULUS monet in l. 20. ff. de ritu nupt. *Sciendum ad officium curatoris non pertinere, nubat pupilla an non, quia officium ejus in administratione bonorum constat.* Plane quam- vis negotia cum pupillo aut minore gesta, nisi tutor aut curator intervenerit, irrita statuuntur, non tamen omni juris effectu semper destituta sunt, etenim si quis à pupillo emerit sine tutoris autoritate, quem puberem neque sub cura constitutum (invitis quippe adolescentibus curator non dabatur) putabat, procedet ei usucapio, nam & si à furioso, quem putem sanæ mentis, emero, scriptum est usucapere utilitatis causâ me posse l. 3. §. 15. 16. ff. pro em- tore. Unde & eâdem utilitatis ratione prætor per publicia- nam tuebitur, ut perinde rem casu ante completam usu- capionem amissam vindicare possit, ac si re ipsâ emtio venditio constitisset.

Continuatio digressionis Canonicae.

Inter Ecclesiastica beneficia principem locum obtinet *Papatus*, nam & beneficium à Clemente III. appellatur. Prin- cipio quidem *Papa* nomen magnarum præcipue & insignium urbium Episcopis tributum est, ut Romæ, Carthaginis, Alexandriae, Hierosolymorum. Cornelius enim Episcopus Romanus atque alii multi in epistolis suis sanctum Cyprianum Carthaginensem Episcopum *Papam* vocant. Simili modo

B 2

Atha-

Athanasius Theophylus & Cyrillus Alexandri Episcopi *Papa* nominabantur: Sed appellatio hæc processu temporis reliquis adempta Episcopis soli Romano Pontifici propria facta est. Porro Romanum Pontificem quod attinet, id apud omnem hominem probè Catholicum in confesso est, quod & Patrum & Conciliorum oraculis indubitatum est, eum Beati Petri Apostolorum Principis, cui collatus à Christo Domino totius Ecclesiæ primatus, plenaque Christianum, quæ patet in terris, orbem regendi in Spiritualibus potestas, legitimum esse pari honore, pari potestate successorem. Atque hujus quidem virtute primatiæ solus autoritate propria Episcopos aliosque in unum cogit de fidei morumque negotiis tractaturos, quibus fideles omnes instituatur, acta illic probat, aut improbat, imo quod amplius, ejus in decidendis fidei controversiis, proponendis Ecclesiæ toti articulis autoritatem falli nesciam tota retro agnovit antiquitas, & quantum est Patrum antea actis sæculis cum vitæ sanctimoniam cum eruditione illustriorum. Potestatem, quod ad spirituale animorum regimen spectat, ita in quosvis fideles explicat, ut *si suæ & fraternæ salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in operibus suis, & insuper à bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus, nihilominus innumerales populos catervatim secum ducit primo mancipio Gehennæ cum ipso piagis multis in æternum vapulaturus, tamen hujus culpas isthic redarguere mortalium præsumat nullus: quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi deprehenditur à fide devius Can. si Papa dist. 40.* Hac solâ ratione rectè judicari potuit Marcellinus, cum in templo Vestæ Jovis simulacro thura adolevisset, ut est in actis Synodi Sinuesianæ: Si tamen vera est historia, nec conficta memoratæ Synodi monumenta, quod non uni hodie ex eruditis placet. Rectè judicari potuit Libesius, si non tantum primæ formulæ Syrmienti, quæ suppressa subdole ab Arianis Episcopis vox *diversior*, sed & secundæ subscripserit, quæ filium *diversior*, id est, consubstantialem patri negabat, quod Sancto Hilario, virisque aliis illustribus visum est.

Rectè

Rectè judicari potuit & Vigilus, si dato ad Justinianum constituto probaverit vulgata tria capitula, scripra Theodori Mopsuesteni, Theodoretì contra Scum Cyrillum, & epistolam Ibae ad Marim Persam, quæ solemnì anathematice quinta Synodus damnaverat. Rectè demum potuit & Honorius Sæculo VII. Si monothelitarum erroribus, unicam in Christo voluntatem atque operationem comminiscientium voce aut scripto suffragatus sit. Hæc ipsa tamen non ut volunt, adversariis concedam. Quod de Marcellino traditur, ad rem qua de agitur, leve est. Si peccavit idolis litando, non peccavit institutionis imperio, sed conversationis exemplo. Peccaverat & hoc modo Petrus (ut vulgo opinantur) dum coegerat gentes Judaisare, cui merito Paulus in faciem resistit, quia reprehensibilis erat 2. ad Galat. 5. Liberium subscripsisse secundæ formulæ Syriensi nulla historiæ fides prodidit. Quin contra potius narrat ZOZOMENVS lib. 4. historiæ Ecclesiasticæ. cap. 14. dum ait: Liberium Byrrhææ redueem Constantinus (Arianæ perfidiæ patronus & ab avita fide defector) compellere tentavit, ut fateretur, filium non esse patri consubstantialem. Quid compellere opus erat, si jam ante ad Arianos accesserat, quàm Byrrhææ revocatus esset. Eò quidem scèdè prolapsus est Hosius Cordubensis Episcopus, id quod ejus ætatis scriptor nullus tacuit, utique nec de Liberio taciturus, si eodem se crimine contaminasset. Vigilus tantum abest, ut erroneam Capitulorum doctrinam propugnarit, ut eam disertè in epistola ad Eutychium pro officio proscripserit his verbis: *Prædicta tria capitula anathematizamus & condemnamus, scilicet impium Theodorum Mopsuestie una cum ejus scriptis, & quæcumque impie Theodoretus scripsit, atque etiam epistolam, quæ dicitur ab Iba scripta fuisse, quæ superius dictæ blasphemie comprehenduntur.* Sed ut ultro largiar pontifices hos, & si qui feruntur alii ex sua ipsorum persona errorum se socios constituisse, id certè largiar numquam (in quo punctum rei vertitur) Pontificem ullum à Beato Petro ad hodiernum

num usque quidquam fidei adversum de Cathedra, ut ajunt, definivisse.

§. IX.

Redeamus unde digressi sumus, atque amplius de obligationibus dicamus aut purè cas contrahi, aut sub conditione. Ex illis statim jus nascitur, ex his conditione demum existente. In utraque obligatione aut jus quaesitum, aut spes in heredem transmittitur. Sin solum sit, quod ex obligatione pura debebatur, repeti non potest, potest sub conditione debitum, si ante conditionis eventum per errorem solvatur. Atque hæc ita, si conditio obligationem suspendit, ut certum non esset debitum iri. Quid igitur si quis stipulanti centum promiserit, *sive navis ex Asia venerit sive non venerit?* & ante alterutrius casus existentiam solverit, id est priusquam venerit, aut jam certum esset venire amplius non posse? Negat PAVLVS ex Juliani sententia solum condici posse. l. 66. ff. de condit. indeb. & merito. *quia ex una causa alterius solutionis origo proficiscitur.* Est igitur hujusmodi stipulatio pura, nec conditione suspenditur. Finge contra hoc modo legatum relictum, erit id conditionale, atque ante alterutrius casus existentiam decedens legatarius nihil quidquam ex eo ad heredem transmittet. Impossibilis conditio quamquam in dispositionibus ultimæ voluntatis pro non scripta habeatur, contractum vitiat: *quia in ea re, quæ duorum pluriumve consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum procul dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi existiment, appositâ eâ conditione, quam sciant impossibilem* l. 31. ff. de Oblig. & Act. Ab hac regula in conventionibus universè probata paulisper SS. Canones recedunt in cap. fin. X. de condit. appos. quod ad contractum attinet matrimonialem, ut neque vitietur semper, neque semper sustineatur; Nam si matrimonio impossibilis aut turpis conditio adjecta fuerit, quæ ejus substantiæ repugnet, ut, si generationem prolis evites, si pro quaestu adulterandam te tradas: contractus matrimonialis quantumcunque favorabilis caret effectu. Aliæ aut impossibiles aut turpes ex rescripto Pontificis favore matrimonii pro non ad-

adjectis habentur. Qua in re acris est disceptatio, agatne Pontifex de modalibus dumtaxat, quæ contracto jam perfectoque matrimonio accedunt, quod multis placet, an de conditionibus verè proprieque suspensivis? quod postremum magis esse existimo.

§. X.

Est & inter conditiones ea consideranda, quam arbitrariam dicunt, quæ si in non faciendo concepta sit, expectandum est, donec certum sit atque exploratum fieri amplius non posse. Unde à CELSO traditum est in *l. 99. §. 1. ff. de V. O.* si stipulatus hoc modo fuero: *Si intra biennium Capitolium non ascenderit*, non nisi præterito biennio jure me petiturum; Nam etsi, inquit, *ambigua verba sunt, sic tamen exaudiuntur, si immutabiliter verum fuit, te Capitolium non ascendisse.* Quidsi hujus modi conditio in dando apposita sit? Interesse dicemus, an stipulatio à conditione cœperit, veluti si *Pamphilum non dederis, tantum dari spondes*, an à pactione: ut *Pamphilum dari spondes, si non dederis, tantum dari spondes*: Posterius si actum est, simul ac facere promissor potuit, neque fecit, stipulatio committetur: Sin prius, non ante ex stipulatu agi poterit, quam deserit posse Pamphilus dari. Atque hæc tam variè eleganti juris ratione, ac sublimiore indagine PAPIANVS tractat in *l. 115. §. 2. ff. eod.* Disputamus & speciem alteram: dies certa præter conditionem obligationi apposita est; post eventum conditionis etiam diei existentia expectari debet. Proin qui ita stipulatus est: *Si calendis siculum non dederis, centum dare spondes*; mortuo homine ante Calendas confestim ex stipulatu agere non potest, sed dies expectandus est, tota enim obligatio & sub conditione, & in diem collata est, superestque dies, ut ut ad conditionem committi videatur. Verumtamen ita jus est in hac stipulatione: *Si Lucius Titius ante Calendas in Italiam non venerit, decem dare spondes*: ut non ante peti quidquam possit, quam exploratum sit, ante eam diem Titium in Italiam venire non posse, neque venisse, si vivo siue mortuo id acciderit *l. 10. ff. eod.* Hæc iterum quam

variè? neque tamen adversi quidquam deprehendet, qui penetrato cortice juris medullam penitus inspexerit.

§. XI.

Habet & modum obligatio, aut accessionem, aut neutrum. Modum dicimus, cum alternatim decem debentur aut homo. Quo in genere, nisi creditor electionem sibi reservavit, debitoris est arbitrium, utrum solvat, quamdiu utrumque in medio est, solutione autem unius tota interimitur obligatio, nec alterum peti potest. Uno, antequam debitor illud obtulisset, perempto, sive fato suo, sive alienâ, & vel adeo ipsius creditoris injuriâ, alterum obligationi superest, solumque præstari debet *l. 55. ff. ad leg. Aquil. l. 44. §. 3. ff. de oblig. & Act. l. 2. §. 3. ff. de eo quod certo loco. l. 34. §. pen. ff. de contrab. emt.* etsi longè majoris sit pretii, quippe electio, quæ ab initio debitori competebat, intercidit, ita ut nec perempti astimatio (quod quidam putant) præstari invito creditori queat. Plane si stichum aut decem stipulatus de decem pactus sim, ne petantur, ubi aut stichus petetur, aut decem, exceptionem pacti in totum obstaturam autor est *PAVLVS in l. 27. §. 6. ff. de pact.* Haud immerito, nam ut solutione & petitione & acceptilatione unius rei tota obligatio ipso jure solvitur, ita & pacto convento de una re non petenda interposito totam necesse est obligationem exceptionis ope summoveri. Accessio aut rei est, aut personæ; Hac est, cum mihi aut Titio homini extraneo, quem in potestate non habeo, dari stipulor, quæ stipulatio tota utilis est, quia non id agitur, ut Titio obligatio acquiratur, quod non potest, cum per liberam personam alteri obligatio acquiri non possit, sed ut acquiratur mihi soli, solvatur autem vel mihi, vel Titio, etiam me vetante & invito. Titius solutioni applicatur, obligationi non applicatur, & ideo nec ex stipulatu agere, nec novare, nec acceptum ferre potest, nec fidejussorem accipere vel pignus, vel constitui ei suo nomine rectè potest, sunt enim hæc omnia accessio & sequela principalis obligationis, quæ in persona Titii nulla est, & hæc tantum vis adjectionis hujus est, ut Titio solvi possit, & perinde nascatur debitori plenissima

si ma liberatio, ac si stipulatori ipsi solutum esset; si modo solvatur, antequam stipulator agat & litem contestetur, nam post litem contestatam debitor non rectè solvit Titio, quia per litem contestationem stipulator acquirit novam iudicati actionem, cui Titius adjectus non est; Insuper necesse est, ut Titius in eadem causa eodemque statu sit tempore solutionis, in quo fuit tempore stipulationis *l. 38. ff. de solut. & liber.* quare si Titius post stipulationem civitatem amiserit, aut servitute vel arrogatione in alienam familiam pervenerit, illi non rectè solvetur, tacitè enim inesse hæc conventio stipulationi videtur, ut ei tum demum rectè solvatur, si in eadem causa eademque statu permanserit. Neque his obstat *l. 95. §. usufructum 6. ff. de solut. & lib.* Plane si mihi aut Titio filiofam: stipulatus fuero, poterit filio vel emancipato solvi *l. 76. §. 2. ff. de V. O.* At quid si quis sibi aut Titio stipuletur, ac reus dein soli stipulatori constituat? PAVLVS respondit in *l. 8. ff. de pec. constit.* solutionem adjecto factam nequaquam ad liberationem profuturam: Neque his quidquam adversum scribit in *l. 59. ff. de solut. & liberat.* At finge contra: stipulatus sum à te mihi dari, mox constituisti te mihi aut Titio soluturum: an si Titio solvas, liberaberis? sanè stricto jure, id est, jure civili non liberaberis actione ex stipulatu, sed manes obligatus priorè actione constituta pecunia, id est, priorè actione ex stipulatu, in quam constituisti te soluturum, quia Titius actioni ex stipulatu adjectus non fuit, si tamen contra te agam ex stipulatu, exceptione pacti jure prætorio me repelles, quia cum volentis mihi constituisti te mihi aut Titio soluturum, consentio, ut Titio solvere possis *L. pen. ff. de pecun. constit.* in qua pro propria legendum estè priorè censo. Rei accessio est, cum mihi decem, aut Titio hominem stipulor, in qua specie existimo promissorem, si is hominem Titio solverit, ope dumtaxat exceptionis liberari. Nonnumquam & in venditionibus accessio cernitur, veluti si in emtione fundi dictum sit, *stichum accedere*, nec interest quanti sit accessio, superetne rem ipsam an adæquet, an eâ minus habeat, cum subinde propter accessiones rem ipsam nobis pretio comparemus, ut æ-

C

des

des propter marmora; quodsi dictum non sit, cum apud missorem plures stichi essent, quis ex pluribus accesserit, is stichus accedet, quem venditor, non quem emtor intellexit.

Continuatio altera digressionis Canonice.

Quamquam ut in prima digressionis nostre Canonice continuatione scripsimus, in his, quibus ad beatitudinis perennitatem consecutionem opus est, Romani Pontificis autoritas summa sit, quæ tamen ad temporalem politiam attinent, ita sunt Imperio propria, ut à Sacerdotio pendeant nullatenus: Stat enim divinâ concessione utraque potestas suis quæque discreta limitibus, ut neque Imperio jus sit in Sacerdotium, neque Sacerdotio in Imperium aliud, quam ut moneat, instruat, agenda doceat spirituali quodam animorum dominatu. Perspicue in eam rem Nicolaus Papa I. in epistola ad Michaellem Imperatorem, quam GRATIANVS refert *dist. 96.* Cum ad verum ventum est, ultra sibi nec Imperator jura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit &c. His similia exaravit GREGORIUS Papa II. in epistola ad Leonem Isaurum Iconomachum. Quemadmodum Pontifex introspectendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deserendi, sic nec Imperator in Ecclesiis introspectendi . . . quisque nostrum in qua vocatione vocatus est à Deo, in ea permaneat. Fallor, si non laudati Pontifices ad Sacrum Eloquium respexerunt, quod est in 2do Paralipomenon cap. 19. Amarias Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum sunt præstabit: Zabadias qui est dux in domo Juda super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent.

§. XII.

Ut unde defleximus revertamur, quæ hætenus scripta sunt

sunt, in iis maximè contractibus pleraque obtinent, quos stricti juris esse placuit, dum ab uno tantùm latere pleraque obligent, cum ex aduerso, ubi utrimque obligatio nascitur, bonæ fidei esse dicantur. Negotium autem stricti juris bonæ fidei negotio quoad juris effectus immane quantum discrepat; ut ecce: Cùm Romæ ambo domicilium ac lares haberemus, stipulanti tibi centum Capuæ promitto; nisi Capuam pervenero, in æternum ipso jure non poteris mecum iudicio contendere, tamen si Romæ domicilii iudicem agnoscam, est enim locus pars quædam stipulationis, imo non Romæ, sed Capuæ interposita stipulatio creditur, quia *contraxisse unumque in eo loco intelligitur, in quo ut solveret, se obligavit* l. 21. ff. de oblig. & act. In stipulationibus autem iudex est alligatus formulæ negotii, nec ultra ejus officium serpit; donec prætor æquitate motus ex sua jurisdictione arbitrariam de eo quod certo loco actionem accommodârit, quâ stipulatori fas est promissorem Romæ convenire, si modo transferit tempus conventioni appositum, aut si appositum non est, quo commodè promissor ad locum solutionis pervenire potuit, & non pervenit. Eleganter in eam rem PAPINIANVS in l. 49. §. 2. ff. de fidejuss. *Quæstum est, inquit, an fidejussor, qui Capuæ pecuniam se daturum Romæ (existens ac domicilium fovens) promissit, si reus promittendi Capuæ esset, statim conveniri possit arbitrariâ nimirum Romæ, cum ipse Capuam commodè pervenire non potuisset? Negat Jurisconsultus & merito. Quin imo fingamus fidejussorem Capuam jam pervenire commodè potuisse, non potuisse reum principalem; neque tunc fidejussor arbitrariâ Romæ conveniri poterit. Ex his primum patet utrumque contractum inter discrimen, quippe potestas illa reum in alio quàm solutionis loco conveniendi in bonæ fidei contractibus etiam ipso jure civili competeabat. Est & alterum insigne, quod dolus metusque in iudiciis bonæ fidei ipso jure civili vindicentur, in stricti juris iudiciis jure prætorio tantùm: Namque ut hoc breviter contra vulgus interpretum explanemus, certum est, jure quidem naturæ non obligare conventionem ullam dolo malo metuye inju-*

sto iniram; habent enim dolus metusque in se injuriam, ex injuria verò jus nasci non potest in creditore, qui conventionem improbè extorsit, atqui si in creditore jus non est, obligatio in debitore esse non potest, est enim jus in creditore obligationis mater & parens; Et quis potest esse adeo factus & excors, ut existimet Deum juris naturæ autorem jubere, ut ea servemus, quæ dolo decepti, metuve injusto coacti promissimus? Sed jus populi Romani, quæ est rerum omnium humanarum conditio, non fuit statim undequaque & ex omni parte perfectum. Hoc jure semper ei, qui ex contractu bonæ fidei dolo metuve lætus erat, dabatur & exceptio & actio, ut aut ab eo contractu liceret recedere, aut damnum sarciretur, at verò siquis in contractu stricti juris dolum metumve passus fuit, ut & si causam bonæ fidei negotii dolo metuve iniri in stricti juris judiciis, puta stipulationem, transtulit, nullâ actione nullâve exceptione juvabatur, donec tandem prætor jus civile emendans & ad juris naturæ normam redigens etiam in stricti juris judiciis exceptionem & actionem doli & quod metus causa proposuerit, quâ actione dolus matiusque in ejusmodi contractibus vindicatur, quemadmodum in contractibus bonæ fidei vindicatur actione propriâ illius contractus, in quo dolum metumve quis passus est. Quæ omnia clarè demonstravit CICERO de officiis lib. 1. Jam illis promissis non standum esse quis non videt, quæ coactus quis metus, quæ deceptus dolo promiserit, quæ quidem pleraque jure prætorio liberantur, ut in stricti juris contractibus, nonnulla legibus, ut in bonæ fidei judiciis. Idem lib. 3. ibid: Canius eques Romanus nec infacetus & satis literatus, cum se Syracusis otiosiandi, ut ipse dicere solebat, non negotiandi causâ contulisset, dilectabat se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, & ubi se oblectare sine interpellatoribus posset, quod cum pererebauisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, dixit vendes quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio si vellet ut suis, & simul ad cenam hominem in hortos invitavit in pesterum diem; Cum ille promississet, tum Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines gratusus, piscatores ad se convocavit, & ab
his

his petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque quid eos facere vellet: Ad cenam tempore venit Canius: opparet à Pyrbio apparatus convivium: cymbarum ante oculos multitudo: pro se quisque quod ceperat afferebat. ante pedes Pyrbii pisces abjiciebantur: tum Canius, quaeso, inquit, quid est hoc Pyrbi, tantumne piscium, tantumne cymbarum? & ille, quid mirum, inquit, hoc loco est Syracusis quidquid est piscium, hic aquatio, hac villa isti carere non possunt: Incensus Canius cupiditate contendit à Pyrbio, ut venderet, gravatè ille primo, quid multa? impetrat, emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pyrbius voluit, & emit instructos, nomina facit (hoc est, totam venditionis causam transfert in stipulationem, ex qua cum sit stricti juris, ante edictum praetoris nulla dabatur actio) negotium conficit: invitat Canius postridie familiares suos, venit ipse maturè, scalmum nullum videt, quaerit ex proximo vicino, num seriae quaedam piscatorum essent, quod homines nullos videret; nulle quod sciam, inquit ille, sed hic piscari nulli solent, itaque veri mirabar, quid accidisset: stomachari Canius: Sed quid faceret? nondum enim Aquilius collega meus & familiaris protulerat de dolo malo formulas.

Ex eodem discrimine fluit, quòd, quæ est sententia *Legis 33, §. 1. ff. de solut.* Si stichum (tinge etiam stichum aut Pamphilum) stipulanti mihi promissisti, stichum per te debilitatum aut vulneratum offerendo quidem non libereris, eoquòd non offers talem, qualem promissisti, proin maneat adversùs te pristina ex stipulatu actio, quodsi tamen ignaro mihi cum nescirem eum aut vulneratum aut veneno imbutum dederis, & re ipsà accipienti mihi tradideris, extinguatur actio ex stipulatu, quia actio stricti juris dolum non vindicat, sed agam actione doli prætorii (prator viva vox juris civilis studere debet, ne maleficia sint impunita) nisi si essem stipulatus dolum abesse abfuturumque esse, quo casu daretur actio ex stipulatu. Quodsi stichus debitus fuisset ex emto, etiamsi ignaro mihi stichus debilitatus solutus fuisset, possem agere ex emto, quia ea actio est bonæ fidei, quæ vindicat & purgat dolum malum l. 7. §. 3. ff. de dolo. Quod idem dicito de actione ex testamento, etiam

enim ea actio sit stricti juris, multa tamen mutuatur ex natura actionum bonæ fidei *l. hujusmodi §. ades ff. de leg. 1. l. 34. ff. de Usur.*

Huic quod jam explicavimus, discrimini proximum est illud, quod exceptiones bonæ fidei judiciis dicantur inesse, strictis judiciis, præterquam si hodie causam compensationis excipias, non item; hoc est, is adversus quem in jure apud prætorem ex bonæ fidei negotio actio petebatur, etsi contra actionem apud prætorem exceptionem non petierit, potuit eam, cum ad iudicium ventum est, proponere, nam quia in bonæ fidei judiciis jubetur iudex ex æquo & bono judicare, habet potestatem admittendi exceptiones apud prætorem omittas, in strictis judiciis exceptiones in jure apud prætorem omittæ suppleri non possunt, quia certæ formulæ iudex adstringitur, quam excedere non potest. Leges ita concipiendæ sunt, inquit Aristot. in Polit. ut quam minimum liceat iudici, nam qui rempublicam legi & rationi committit, eam divinitati committit, qui eam homini mandat tot perturbationibus obnoxio, eandem bellæ subijcit: atque in hoc situm est, quod vulgo dicimus aliquem liberari ipso jure, aut non liberari: Qui exceptionem habet in bonæ fidei judiciis, apud prætorem rectè negabit se debere, satis est, si in iudicio exceptionem deinde opponat, in strictis liberatur jure prætorio, hoc est, si exceptionem apud prætorem opponat. Hæc tam clarè exposuit Autor ad Herennium *lib. 1.* & Cicero *de invent. lib. 2.* ut mirari non liceat, quare in strictis judiciis exceptiones peremptoriæ post litem contestatam (in jure scilicet apud prætorem id quod vulgo non intelligunt, opponi amplius non possint. Cicero *de invent. lib. 2.* *Atque in nostra quidem consuetudine multis de causis fit, ut rarius incidant translationes, nam & prætoriiis exceptionibus multe excluduntur actiones, & ita habemus jus civile constitutum, ut causâ cadat is, qui non quemadmodum oportet, egerit, quare in jure (id est apud prætorem) plerumque versantur, ibi enim & exceptiones plerumque postulantur, & quodammodo agendi potestas datur, & omnis conceptio privatorum iudiciorum constituitur. Atque hoc est, quod*

quod ait PAULUS in l. 27. §. 2. ff. de pact. in stipulationibus jus contineri, in pactis factum versari, scilicet qui novatione, quæ stipulatione perficitur, liberatus est, is in jure apud prætorem rectè negabit se debere, quia stipulatio est modus tollendæ obligationis jure civili receptus, at qui pacto liberatus est, perperam apud prætorem negabit se debere, quia pactum non est modus tollendæ obligationis jure civili comprobatus, pacta jus civile ignorat, solum jus prætorium agnoscit, quapropter si pactum apud prætorem in jure omissum sit, in judicio officio judicis in judiciis strictis suppleri non potest.

Statuamus præter cætera (ut quod in bonæ fidei contractibus usuræ ex mora debeantur, in stricti juris negotio haud aliter quàm si in conventionem fuerint deductæ, similiter quod in stricti juris conventionem, sive rem dare quis, sive tradere, aut quod omnino idem est, vacuum possessionem præstare obstrictus sit, fructus non, quemadmodum in bonæ fidei negotiis, contineantur, ne ii quidem qui tempore conventionis pendebant, ac multo minus ii, qui postea ante litem contestatam percepti sunt, nihil in contrarium faciente l. 4. ff. de usur.) statuamus, inquam, ad exercitationem discrimen aliud; stichum vendidi, & ægrotum negligo, hoc nomine emtori obligor, at si stichum stipulanti promisero, & neglexerim infirmum, ratione nullâ teneor l. 91. ff. de V. O. Ponamus & operosioris disquisitionis aliud: Cum hominem tibi venderem, placuit, ut homine evicto, mentione partis nullâ factâ, duplam præstarem: Pars hominis evicta est, ne pro parte quidem stipulatio duplæ committeretur, quia non potest videri homo evictus, cum pars ejus evicta est l. 56. §. 2. ff. de evict. at tamen pro parte evicta, quâ damnum emtor passus est, elabitur ex emto actio ad id quod interest; Hæc rursus tam variè, quod actio ex emto sit bonæ fidei, in qua ex æquo & bono præstanda omnia, stipulatio stricti juris, quæ commissa dici nequit, nisi sit evictum id, quod est venditum. Finge tamen: vendidisti mihi fundum mille jugerum, atque in casum evictionis stipulanti mihi promissisti duplam; ex mil-

mille jugeribus ducenta flumen abstulit, si totus fundus, quem flumen diminuerat, evictus sit, *jure* (civili scilicet) non diminuetur evictionis obligatio, cui consequens est, ut perinde committatur stipulatio duplæ, ac si fundus mille jugerum evictus esset, *l. 64. ff. de evict.* quamvis si abstulisset in casu stipulatio, evictionis obligatio, quæ ex natura rei inest, ad ratam ducentorum jugerum, quæ flumen damno emtoris abstulit, esset diminuta. Sunt & qui discrimen inter utriusque generis judicia in eo ponunt, quòd si ob moram debitoris agatur de æstimatione arbitrio judicis faciendâ, in bonæ fidei judiciis rei judicandæ tempus quanti res sit, observetur, in strictis litis contestatæ tempus spectetur. Verùm gratis: quia circa hoc id unice inspicere oportet, sitne corpus seu certa species, quod debetur, an genus? Illo casu reducenda æstimatio ad tempus moræ & à tempore moræ usque ad sententiam, adeo ut debitor, qui ab eo tempore corpus debuit, si corpus non præstet, æstimationem inferat, quæ quovis tempore summa fuit, quia quolibet tempore corpus debuit, qui autem corpus debet, utique debet & æstimationem, si corpus præstari non possit: Sin genus debeat, ut vinum, merx quælibet, spectandum tempus litis contestatæ, quia cum genus debetur, reus electionem habet, ut nullius certi temporis speciem debeat, sed hæc electio litis contestatione restringitur ad eam speciem, quæ lite petita est, quæ sola potestati judicis & condemnationi subjicitur, tale enim quidque præstandum est, quale fuit cum peteretur; Hæc in *l. vinum ff. de reb. cred. l. 3. § 4. ff. de condit. tritic.* insuper habitâ distinctione inter contractus bonæ fidei & stricti juris, quæ malè colligitur ex *l. 3. §. 2. ff. commodati.* quia illa lex tantum dicit spectandum esse tempus sententiæ ferendæ, cum jurejurando in litem actor ipse æstimationem facit, quod fit in bonæ fidei judiciis plerumque, non item in strictis fieri consuevit, at verò si agatur de æstimatione faciendâ per judicem, ea est spectanda distinctio quam attuli, sive agatur de strictis sive de bonæ fidei negotiis.

§. XIII.

Cœterum in obligationem deduci potest res omnis, quæ
in

in commercio est, eaque vel species est, vel genus: si res ex-
 emta commercio in stipulationem deducatur, adeo inutilis est
 conventio, ut nec ad aestimationem nascatur obligatio, qua
 in re cum stipulatione legatum convenit, ejus legatarius
 commercium non habet, proin si contra edictum rem immo-
 bilem a manibus mortuis acquiri vetans, manus mortuae res
 immobilis non amortizata legetur, verius est, nec aestimatio-
 nem debitum iri. Scribit tamen Pomponius & liberi hominis
 & sacri ac religiosi loci venditionem valere, si ab ignorante
 ematur *l. 4. ff. de contr. emt.* quod liber homo à servo difficile
 dignosci queat, quod ipsum tamen non eò pertinet, quasi
 emtori hujusmodi res ex conventionione tradenda sit, sed ut
 venditor ei obstringatur in id quod interest se deceptum non
 esse *§. ult. Inst. de emt.* Quod si res ab initio utiliter promissa
 in eam causam, ut extra commercium sit, sine promissoris fa-
 cto inciderit, in totum evanescet obligatio, imò nec mutatà
 postmodum conditione restituetur. Genere autem in obli-
 gationem deducto, interesse dicemus, an species sub eo con-
 tentae utilitatem in humano commercio adferant, veluti ho-
 mo, bos, equus, ac utilis circa ea conventio consistet; An
 hujusmodi genus sit, ut si vel minimum ex eo genere solvatur,
 delusoria sit futura praestatio, ac nulla tum prorsus obligatio
 oriatur, atque ita stipulatio fundi non demonstrati vana est
 & inanis, idemque in legatis probatum est *l. 69. §. 2. ff. de
 jur. dot.* Quoties autem genus debetur, sive ex conventionione,
 sive ex legato (praeterquam si legatum fuerit per vindicatio-
 nem, quoad hoc enim veterem inter legatorum genera differe-
 rentiam à Justiniano sublatam non esse arbitror) debitoris
 est arbitrium, utrum solvat, ita tamen ut solvere invito cre-
 ditori non possit eam speciem, quae vel ejus ab initio fuit,
 aut quae postea ejus esse coepit, quamvis forte ejus esse iterum
 desierit, quia non potest solvi nisi id quod debetur, in quo
 non consistit obligatio, in eo solutio consistere non potest,
 porro nihil interest, an ab initio obligatio non consistit, an
 in eam casum inciderit, à quo incipere non poterat *§. 2. Inst.
 de inut. stip.* quamquam haec regula numquam apud omnes
 D
 recepta

recepta fuerit, inanis est eorum labor, qui conciliare volunt eos, qui numquam conciliari voluerunt. Finge igitur, quæ est species *l. 72. §. 4. ff. de solut.* stipulatus sum hominem generaliter: Num etiam ex his (ita rectè legit *CVJAC. obs. lib. 14. cap. 20.* vulgo male *Unum*) qui tunc, id est tempore stipulationis interpositæ, stipulatoris servi erant, dando promissor liberabitur? Respondet doctissimus *ICTUS* non liberari; non potest solvi nisi id quod debetur, deberi non potest, nisi quod stipulatione comprehenditur; porro quamvis effusis laxisque verbis stipulatio concepta sit, vi ipsa, hoc est si mentem & potestatem orationis spectemus, numquam comprehendet eos servos, qui sunt stipulatoris tempore stipulationis, frustra quod meum est stipulor, inventa sunt stipulationes ad obstringendum alium, ut mihi det, quod meum non est. Sanè oratio generalis servi etiam continet unum ex his, qui mei sunt, si verba spectes, si vim & potestatem spectes, non continet; verbis repudiatis mens orationis intuenda est, id est, unusquisque vult non semper quod scribit, sed quod sentit. Itaque si hominem generatim stipulor, vi ipsa & tacito intellectu, etiamsi id expressum non sit, stipulor unum ex his, qui mei non sunt. Quemadmodum si stipulatus sum stichum aut Pamphilum, cum meus esset Pamphilus, non liberabitur promissor solvendo Pamphilum, etiamsi Pamphilus postea deserit esse meus, uti nec liberabitur, etiamsi post stipulationem factus sit meus Pamphilus *L. 16. ff. de V. O.* Neque his contraria scripta sunt in *d. l. 72. §. 4. ff. de solut.* nec in *L. 67. ff. ibid.* Ubi verò ad speciem certam quis obstringitur, ejus interitum liberatur, adeo ut ne æstimatio quidem debeat, quia res in obligationem deducta fuerat, non æstimatio *L. 21. ff. de hered. vel act. vend.* Si tamen interitum debitoris culpa antecessit, quia aut ipse occidit, aut moram admisit, perpetuabitur obligatio *l. 91. ff. de V. O.* atque hoc casu debitor rei pretium præstabit, si modo creditor distrahere potuit atque ita pretium consequi *l. 15. §. 5. ff. de R. V.* quod si distrahere nequitiam potuit creditor, quia jam ejus nihil interest, nulla ei actio dabitur *l. 14. §. quid si 11. in fin. ff. quod metus causa.* ubi quod

quod dicitur, si res peritura non fuit, ita intelligi debet, si creditor distrahere non potuit, namque si potuit, res ei interitura non fuit, qui enim pretium habet, plerumque vi ipsa rem obtinet *l. 14. §. ult. ff. de pos.* An autem distrahere poterit, existimo rem in facto esse positam contra Donellum, qui existimat satis esse, si per naturam rerum creditor rem distrahere potuit, eoquod iniquum sit alteri moram creditor rem prodesse, quod ego non puto, nam si creditor distracturus non erat, quanti quæso sua interesse ostendat? Moram autem vel ipse reus principalis admittit, vel is qui accessionis loco tenetur, quod si ipse reus principalis moram fecit, ac deinde res debita interit, mora obligationem perpetuat, non tantum adversus debitorem principalem, sed etiam adversus fidejussorem *l. 88. ff. de V. O.* idem de cæteris accessionibus dictum esto, ut de patre qui accessionis jure ex contractu filii tenetur de peculio *l. 49. ff. de V. O.* quia hi qui pro alio inter venerunt, à principalis debitoris obligatione pendent, quare nullo proprio jure uti possunt, sed ejus tantum jure & coaditione, ejus locum vicemque subeunt: At si fidejussoris culpâ aut post ejus moram res promissa pereat, ea res non nocet principali debitori, qui ex persona fidejussoris non pendet, sed jure proprio utitur *locis cit.* Dabitur tamen actio contra fidejussorem, iniquum est, ut is facto suo obligationem suam tollat *l. 91. §. nunc videamus ff. de V. O.* iniquum, ut sua mora ei profit, iniquum, ut ex delicto suo conditionem suam meliorem faciat. At quæ actio adversus eum dabitur? Actio ex stipulatu, non directa quæ ex verbis legis descendat, nam si verba juris civilis spectes, liberabitur fidejussor, quia liberatur debitor principalis, porro ita jus est, ut sublata obligatione principali simul tollantur accessiones; sed dabitur actio ex stipulatu utilis ex mente & sententia legis, ne ille occasione summi juris se obligationi subtrahat *l. mora. in fin. ff. de usur. l. sic eum 95. §. 1. ff. de solut.* quapropter improbandam puto aliorum sententiam, qui hoc casu actionem de dolo dabant *l. si fidejussor.*

jussor. ff. de dolo neque enim decernenda de dolo actio, nisi cum omnis actio alia deficit. Porro mora aut ex re contrahitur, aut ex persona, prius evenit, cum potestate legis moram debitor contraxisset decernitur, ita sur moram facere continuo intelligitur, quamobrem si ex causa furtiva quod oblatum est condicatur, ejus temporis ineunda est aestimatio, quo plurimi unquam fuerit. Sed & minoribus ubi debitum quidquam est, à momento tardatae solutionis mora admittitur *l. 3. Cod. in quibus caus. rest. necess. non est.* Ex persona mora contrahitur per interpellationem à creditore factam loco & tempore opportuno; at si dies obligationi exsolvendae adjectus fuit, solone diei lapsu in mora debitor citra denunciationem creditoris constituitur, acris sanè est contentio. Nobis exercitii gratia problema esto. Parit & mora in bonæ fidei judiciis, ut jam ante monuimus, obligationem usurarum, nisi mora commissa purgata fuerit. **Bellè** Celsus adolescens in *l. 92. §. 3. ff. de V. O. qui moram fecit in solvendo sibi quem promiserat, posse eum emendare moram postea offerendo.* Est enim hæc questio de æquo & bono, in quo genere plerumque auctoritate juris scientiæ perniciosè erratur. At quousque emendari mora potest? Certè in obligatione pura faciendi usque ad litem contestatam, non ultra porrigitur, atque hæc pertinere videtur responsum **PAULI** in *l. 84. ff. eod. si insulam*, inquit, *fieri stipulatus sum & transferit tempus, quo potueris facere, quamdiu litem contestatus non sum, posse te facientem liberari placet, quodsi litem contestatus sum, nihil tibi prodesse si edifices.* Quid ita? quoniam per litis contestationem acquiri novam judicati actionem, si adversus te iudex pronunciet, quæ actio solam, ut supra diximus, pecuniæ numeratæ persecutionem continet, quæ mihi per litis contestationem semel questita eripi amplius non potest. In obligatione pura dandi etiam post litem contestatam usque ad sententiam moræ emendationem protendi tradiderunt multi.

§. XIV.

§. XIV.

Et stipulandi & promittendi, quin ex omnibus aliis contractibus ac conventionibus ejusdem obligationis correi effici possunt sive debendi, sive credendi. Credendi correi fiunt, qui eandem rem stipulantur, non qui diversas §. 10. *Inst. de duob. reis stip. & promitt.* Igitur si diversæ res à duobus in stipulationem deductæ fuerint, correi non erunt, etiamsi palam id egissent, ut duo rei essent; imo amplius, si unus stipulatus sit à sejo fundam, alter ejusdem fundi æstimationem, neque tunc correi intelligentur, quia aliud est fundus, aliud fundi æstimatio, unde & si fundum à te mihi dari stipulatus, deinde ejusdem fundi æstimationem absque novandi animo stipulor, prior obligatio posteriore non tollitur l. 28. ff. de novat. Ponamus etiam duos verbis rem eandem stipulatos esse, non continuo duo rei constituentur, si quod stipulati sunt, re ipsa in singulis personis proprium intelligatur. Exempli loco: stipulati sunt duo fundi Tusculani usumfructum, stipulati duo decem dotis nomine: negat CAJUS cum JULIANO in l. 15. ff. de duobus reis constit. in utraque specie reos esse stipulandi, verbis enim rem eandem stipulati sunt, re ipsa res longè diversas, alius enim est ususfructus, qui constituitur in persona utriusque, quippe qui personæ ejus adhæret, & cum ea interit: dos quoque, quia oneribus matrimonii servit, alia atque alia erit pro varietate matrimonii cujusque, unde efficitur, ut si debitor primo usumfructum dederit, aut decem dotis nomine, non liberetur à secundo, non enim solvit primo rem secundo quoque debitam. Necessè insuper est, ita duos stipulari eandem rem, ut stipulentur ab eodem ac singuli solidam, non ejus rei partes: denique ut post omnium interrogationem duobus separatim stipulantibus ita promissor respondeat, utrique vestrum dabo *Inst. eod. in princ. nam si prius Titio sponderit, inquit Imperator, dein alii interroganti spondeat, alia atque alia erit obligatio, nec creduntur duo rei stipulandi esse.* Duo rei debendi sunt, si singuli idem eidem in solidum promittant; Quod ut in cæteris contractibus, ita & in mutuo fieri potest,

non modo si stipulatio intercefferit, quod dubium non habet, sed & citra stipulationem, ut si pecuniâ uni numeratâ constituentur se omnes ejus pecuniâ debitores, velintque singuli in solidum quasi pecuniâ in solidum à se acceptâ obligari *L. si non singuli Cod. si cert. petatur.* non obstante quod mutuum non contrahatur consensu, sed re, dum pecunia proficiscitur in accipientem *l. 2. §. creditum ff. eod.* atque ut mutuum consistat, pecuniam omnium fieri oporteat, plures autem ejusdem rei in solidum domini esse non possint. Sed & non modo ejusdem rei, verum etiam ejusdem operis plures esse rei debendi possunt *l. 5. ff. de duob. reis const.* ut si a duobus fabris ejusdem peritiâ stipulatus sim, ut ipsi navim suis operis mihi faciant, quod si enim neuter opus faciat, agam ad id quod interest, & ab uno extorquebo totam facti aestimationem, seu quanti mea interest, opus non esse factum, at quid si fabri sint ingenio & industria dispari? distinguendum puto: si ab illis stipulor, ut navem aliudve opus faciant non necessario suis operis propriis, sed vel suâ vel alienâ industriâ, erunt, certe esse possunt duo rei debendi, quia si opus factum non sit, eadem facti aestimatio debetur; sin ab illis, qui sunt ingenio & industria dispari, stipulatus sum, ut opus faciant, operis suis, non alienis, duo rei debendi non erunt, neque enim utrobique, si opus factum non erit, eadem facti aestimatio, eademve pecunia debetur; fieri enim potest, ut permagni mea intersit ab uno opus fieri, perparvi autem opus fieri ab alio, Cujus rei rationem elegantem reddit *l. 31. ff. de solut.* qua utinam in usum revocaretur ab omnibus illis, qui Reipublicæ & Ecclesiæ dignitatum sunt arbitri! Quoniam autem duo rei debendi idem debent, sit, ut uno liberato, & obligatione extinctâ liberetur & alter, ut si unus solvat, aut jusjurandum præstet, liberat utrumque, si creditor uni acceptum ferat, liberabit utrumque, si modo vera liberatio contingat, sin verò vera liberatio non contingat, neuter liberabitur; sive: maritus cum duos reos haberet, mulierem & Titium, mulieri accepto tulit donationis causa, ipsâ mulier non liberabitur, quia donatio inter virum & uxorem vetita est, ac ne Titius qui-

quidem liberabitur, quia acceptilatio ex persona mulieris non valuit, est autem absurdum, liberationem, quae in mulieris persona non valuit, ab illa ad alium transire *l. 5. §. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.* item finge habebam duos reos primum & secundum, mulier suscepit obligationem primi, ita ut primus desineret esse obligatus, mulieri accepto tuli, nulla est acceptilatio, inanem enim obligationem demissi, quoniam mulieris obligationem extinxit velleianum, sed ex eodem Scto VELLEIANO mihi restituetur actio adversus utrumque reum *l. 8. l. 20. ff. ad Sc. Vellei.* Alter quoque reus non liberatur, si in persona alterius non extinguatur obligatio, sed persona tantum obligationi eximatur, ut deportatio, aut confusio, item si uni exceptio rei iudicatae, aut pacti quaesita sit, nisi fuerint socii *l. 24. §. seqq. ff. de pact. l. 3. §. nunc de effectu ff. de liberat. leg. l. 9. §. 1. in fin. ff. de duob. reis.* Animadvertendum hic autem falsum esse, quod plures scripserunt, duos reos esse socios, etiamsi contractu inter eos habito societas contracta non sit, quare si unus ex reis stipulandi pecuniam totam exegit, alteri reo stipulandi ejus partem communicare non debet, non jure societatis, quae nulla est, non actione negotiorum gestorum, quia suam negotium gessit, sibi que debitam totam pecuniam exegit suo, non alterius jure, itemque si unus ex reis debendi totam pecuniam solvere coactus est, ab altero reo debendi ne partem quidem exiget, quia totam pecuniam ex sua persona debuit, adeo ut si reus unus debitam pecuniam totam solvat, inutiliter ei cedat adversus alterum actionem creditor, quippe qui actionem nullam habet, quoniam unius solutione obligationis vis tota extincta est, nisi creditor cedat actionem ante solutionem, cum nondum actio extincta est; at creditor uni, qui partem tantum solverit, actionem utiliter cedet adversus alterum, qui, uti & is qui solvit, pro parte tantum est liberatus *l. 65. ff. de evict.* cujus species tota elegans & rerum quotidianarum copia plena partim supra à nobis exposita est, partim haec quae jam diximus confirmat. An duo rei debendi sint fidejussores? magna est quaestio. Dicendum est, non esse

esse invicem fidejussores, quia duo rei debendi sunt, qui eandem rem principaliter debent, at fidejussor principali obligationi accedit, sed reos promittendi vice mutuâ fidejussores accipi convenit *l. ii. ff. de duob. reis.* id est, aliquando expedit & utile est, ut si unus tantum exsolverit, adversus alterum actionem mandati habeat, quo casu creditor actionem inter eos dividere poterit; sed dividere cogendus non est, neque enim si fidejusserunt vice mutua, continuo rei debendi esse desinunt.

Continuatio tertia digressionis Canonice.

A sublimissima Pontificatus dignitate ad Patriarchalem atque Episcopalem (quæ procul dubio majoribus acensenda sunt beneficiis) progrediatur Canonica nostra discussio. Est Patriarcha græca appellatio, quasi princeps patrum. Etenim originis virtute *ἡ ἱεραρχία ἀρχιεπίσκοπος* tribus seu familiæ principem denotat. Ita Paulus Abrahamum nominat *ad Hebræos 7. v. 4.* Stephanus duodecim Jacobi filios *act. 7. v. 3.* & Petrus regem Davidem *act. 2. v. 29.* Judæi deinde post Hierosolymorum excidium longè lateque dispersi, ut quamdam conjunctionis speciem servarent, in Oriente viros sibi principes præfecere, quos itidem Patriarchas vocarunt; Sed circa annum 420 Imperatorum legibus Patriarchas habere vetiti sunt. A synagoga transit appellatio in Ecclesiam Christianam. Atque alii quidem majores dicuntur, ut olim Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; Minores alii, qui inter latinos inveterato temporis usu, aut singulari Pontificis indulto id sibi nomen vindicant, qualis Aquileiensis, Venetus, Æthiopiæ, Indiarum. Est & Archiepiscopus potestate appellationis princeps, seu primus Episcoporum distans ab Episcopo non ordine, sed jurisdictione: quæ qualis, quantaque sit, variis Canonibus expressum est, ut & ea quæ Episcopis competit, qui ministerii sui partes in hoc præcipuè litas habent, in verbi prædicatione. Hoc audacter

dacter Paulus Apostolus pronunciat 1. ad Corinth. cap. 1. v. 18. non misit me dominus baptizare, sed predicare. Huc pertinet vehemens in id opus exhortatio, quâ Timotheum adjurat: Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus, predicare verbum, instâ oportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina 2. ad Timorb. 4. Est & in eam rem Patrum, Canonum ac Tridentinæ potissimum synodi severa sanctio, atque hujus synodi optimi interpretis sancti Caroli Borromæi elegans oratio: Apostoli in quorum locum Episcopi successerunt, satis nobis aperuerunt verbi Dei prædicationem esse præcipuum illorum munus qui in Episcopali sede collocantur. quamobrem nos auctoritatem sancti Concilii Tridentini et veterum Patrum secuti in Domino Episcopos hortamur, ut toto pectore in hanc curam incumbentes greger sibi commissos ipsimet præsertim in Ecclesia sua verbo Dei pascant. Nisi aliud sanè Ecclesiæ utilitas ferat. Porro Episcopis tum à Clericis tum a Laicis omnibus canonica debetur obedientia, reverentia ac subjectio cap. 16. X. de Offic. jud. ordinar. Qua de re non tantum canonico, sed & civili jure cautum est tot. tit. Cod. de Episcop. et Cleric. Pertinet & ad Episcopum administratio bonorum Ecclesiæ tam soli, seu immobilium, quam mobilium, eorumque perperam alienatorum vindictio. Ipsi certè Episcopi siquid ex illis temere alienari passi sint, excommunicationis sententiæ subduntur, quâ tamen non opinor innodatum iri Episcopum, si legatum Ecclesiæ relictum, postquam hereditas est adita, ultro repudiaverit.

§. XV.

Recurrat denuo unde tantisper deflexit discussio nostra; ac de obligationibus, quæ ex conventionione agentium oriuntur & prout à civili jure spectantur, digrediamur ad eas, quas vel ipsum jus naturæ parit, vel jus gentium vulgo introduxisse creditur. Juvabit tamen paucis nostros de his conceptus præmittere. Jus naturæ qui cum Marco Tullio lib. 1. de legib. per rationem, aut cum Grotio per dictamen rectæ rationis, quæ inter discrimen non facimus, definiunt, et si recte sentiant,

tiant, non loquuntur rectè. Quamquam enim id, quod homo rationis usu præditus ex principiis sibi congenitis cognoscit faciendum sibi aut omittendum esse, verè intelligatur juris esse naturæ, ipsa tamen ratio quantumvis recta & exculta jus naturæ non est, sed jus naturæ nobis à Deo datum ostendit, quemadmodum vox præconis legem promulgantis, aut scriptura, quæ lex continetur, lex non est, sed legem continet & manifestat, id quod metaphorâ elegantissimâ expressit S. Basilius orat. 12. pag. 456. ubi mentem humanam inducit tamquam judicem pro tribunali sedentem, & quid lex divina jusque naturæ jubeat vetetve, pronunciantem. Quare jus naturæ nobis nihil est aliud, quàm voluntas Dei jubentis aut vetantis aut certè permittentis per solam rationem homini manifestata: Unde jus naturæ aliud præcipiens aut vetans, quod propriè, aliud permittens, quod non nisi impropriè juris naturæ nomine venit, dici solet; Atque ex his illud adeo est immutabile, ut nullo humano factio mutari aut labefactari queat, quippe cujus autor sit solus Deus, adversus quem genus humanum nihil potest, qua de re extat locus Ciceronis elegans apud Lactantium *Insl. div. lib. 6.* Sed nec in illo ut rectè quidquam fiat, divina valet dispensatio, nisi indirecta, ubi materiam sibi Deus substratam habet, eamque immutat: Hinc furtum non admiserunt Israelitæ, dum abstulerunt vasa Ægyptiorum, non peccaverunt in legem naturæ Patriarchæ polygami (monogamia enim meritò creditur juris esse naturæ) dominium quippe aut jus quodvis aliud creaturæ competens potest Deus supremâ potestate suâ auferre, & in quem vult transdere, aut cui vult communicare; sin materiam sibi Deus subjectam non habeat, nec indirectè dispensare valet, veluti in odio sui, destrueret namque ipsè se, si se odio dignum efficeret; quamquam hoc ipso non statuumus dari actum ex natura sua seu intrinsecè malum. Sanè jus divinum naturæ permittens mutari potest, sic communis rerum usus, & libertas cuius naturâ competens, & rerum quæ nullius sunt, libera occupatio & acquisitio, & varia ejusmodi generis alia, cum propriè juris naturæ non sint,

sint, sed extra jus naturæ, factio humano aut lege positivâ tolli potuerunt, & sublata esse apparet. Sanè etiam quotiescunque jus naturæ non definit, quomodo quibusque conditionibus actus eo jure permissus aut etiam præceptus geri debeat, toties politica potestas hujusmodi actum conditionibus certis circumscribere poterit; sic testamentum & matrimonium est juris naturæ, sed testamenti & matrimonii factio est juris civilis, id est soli illi testamentum & matrimonium perficere possunt, quibus jus civile permittit, iisdem conditionibus, quibus civile jus jubet, quæ est sententia l. 6. ff. de just. & jur. Porro jus naturæ omne finibus humani generis circumscribitur, id est soli homini est proprium, namque, ut Aristoteles ait, ubi ratio non est, ibi jus non est quare cum ratio in bruta non cadat, jus iisdem convenire non posse necesse est; imo quamquam faterer veram esse eorum opinionem, qui existimant bruta propriè ac verè ratiocinari, quam opinionem tenebris vetustatis pene obrutam excitavit politissimus autor *du traité de la connoissance des bêtes*, non inde tamen conficeres, jus brutis tribuendum esse, quia juris capax est sola natura præceptis utens generalibus, qua de re extat locus elegans apud CICERONEM lib. 5. de finibus. His præmissis putamus jus naturæ considerari haud incongruè posse, vel prout hominem disponit ad Deum, cujus munere conditus vitali aurâ bonisque aliis, quibus ditatus est, perfruitur, vel prout hominem disponit ad hominem, cui justâ lege subiectus sit, vel unumquemque ratione sui ad se ipsum, vel ratione alterius ad proximum. Prout hominem ad Deum ter Opt. Max. ordinat, solo rationis lumine eum dicitur ex sui ipsius existentia, quam neque invincibiliter neque inculpate ignorare ullus potest, cæterorumque creatorum visibili contemperatione cognitum, amore appreciativè, ut ajunt, summo diligendum esse: Tenetur & tremendum hoc numen aliquo saltem ritu externo homo colere, ac supremæ ejus Majestati totum se suaque subdere. Prout hominem jus naturæ ordinat ad se ipsum, sui illi ipsius conservationem præcipit.

ac proin nefas ei est, vitam sibi quavis ratione præripere; quapropter existimo damnatum judiciali sententiâ ut veneno pereat, hæctenus quidem teneri, ut infusionem pariatur, at si ipsi sibi infundat, piaculum erit; Unde & damnatus ut fame interimatur, non tantum potest, sed & debet vesci cibo clanculum fortè oblato. Prout autem homo ratione conservationis sui ad proximum ordinatur, vetatur vitam ei eripere, membreve eum mutilare autoritate privatâ, bonis eum suis spoliare, sive clam id egerit, sive vi adhibitâ furto, rapinâve. Injustum tamen vitæ aggressorem servato moderamine inculpatae tutelæ sine culpa occidit, quando vim atque injuriam propulsare se suaque tuendo, omnes leges omniaque jura permittant. Verumtamen pro conservatione bonorum temporalium, fingantur momenti maximi atque aliâs non recuperabilia, nefas multi putant occidere, quòd inculpatae tutelæ moderatio non ex uno hoc capite constet, quòd non plus faciat quis, quàm necesse sit ad tuitionem rei qua de agitur, sed oporteat insuper, ut vis relata commensurata sit villatæ; at inter vitæ iacturam & damna rerum commensuratio nulla sit, quamdiu intra terminos juris privati hæretur. Quò & facere videntur, quæ cum legibus, tum Sacris Canonibus prodita sunt, *furem nocturnum impunè occidi, quia nescitur an ad furandum, an ad occidendum veniat, diurnum haud aliter, quàm si se telo armaverit quia jam plus est, quàm fur.* Sed vix est, ut id admittamus, ne damnare videamur bella, quæ ob res repetendas suscipiuntur. Postremum natura hominem ordinat ad hominem cui subjectus est; Porro subjectionem aliam statuendam esse arbitror servilem, filialem aliam, aliam subditi in ordine ad principem. Servilis subjectio, quæ ex jure gentium cœperit, naturali juri contraria esse dicitur *Inst. de Jure Naturali gentium, & civili*, non quòd juri naturali directè ac propriè adversetur, sed quòd primævæ hominum constitutioni non congruat, quâ liberi omnes extiterunt. In filiali subjectione jus naturæ injungit reverentiam erga parentes, honorem, obsequium, auxilium: Non
 cò

eò tamen quidquid aut naturali aut divino jure progenitoribus debitum est porrigitur, ut nuptiæ filiorumfam. sine consensu parentum contractæ irritæ sint, aut ut parentes ratas eas irritasve facere possint; Apage evanidum dissentientium opinamentum, quod merito Sacrosancta Synodus Tridentina anathemate damnavit. Subjectio subditi ad principem naturali quidem ratione exigit, ut morantem in sacratissima ejus persona atque inviolabilem Majestatem observantiâ prosequatur quanta potest esse maxima, legibus ejus volens ac lubens obtemperet, subsidio ei sit, cum res atque usus postulat, qui putant nonnulli subditum, si privatim Princeps aggrediatur, sub lege patientiæ constitutum esse.

Continuatio quarta digressionis Canonice.

Ut filium Canonice nostræ digressionis repetamus, post Episcopos fulgent in Hierarchico ordine Abbates. Nam licet Abbatis vocabulum nomen potius sollicitudinis, quam honoris dicatur *Can. hoc tamen caus. 17. q. 2.* haud dubium tamen, quin Abbates singulari notâ illustrentur, & primo sint post Episcopos dignitatis gradu collocati *Can. si quis caus. 16. q. 7.* atque ita olim Curia Romana decidit in causa Abbatis S. Udalrici, & Abbatis ad Stam Crucem Canonici Regularis Ordinis S. Augustini Augustæ Vindelicorum, quibus præ reliquis, qui Abbates non sunt, præcedentia adjudicata est; Sed & in Synodo Tridentina post Episcopos sedere Abbates. Jure communi antiquo Abbates creari poterant etiam minoribus tantum ordinibus insigniti *Can. Sub-Diaconus diff. 93.* At in Concilio Pictaviensi placuit, ut Abbates Presbyteri sint, nec in minoribus constituti assumantur, nisi cum necessitas premit. Tandem Patribus Tridentinis visum est ad quascumque dignitates non curatas satis esse, si annum vigesimum secundum quis expleverit.

E 3

Quodsi

Quodsi Abbatia cura fori poenitentialis cohæreat, anno vigesimo quinto opus est. Cæterum Abbatum potestas alia est domestica, seu Oeconomica, jurisdictionis altera. Domestica de qua potissimum agimus, jus est, imperandi subditis, eorumque operâ utendi, ut ad regularem disciplinam conveniens judicaverit. Hæc ultro dimanat à voluntate profitentium, quâ solenni se obedientiæ Sacramento prælato suo subjecere. Hæc sanè vitæ monastica nervus est atque anima; qua de Hieronymi est admonitio *lib. 2. epist. 15. præpositum monasterio timeas ut Dominum, diligas ut Patrem; credas tibi salutare, quidquid ille præceperit, nec de majoris sententia judices, ejus officii est obedire, & implere, quæ jussa sunt, dicente Moysè: audi Israel & tace.* De Monachis Orientalibus Sulpitius Severus scribit *Dial. 1. cap. 17. Præcipua ibi virtus & prima est obedientia, neque aliter adveniens ad Monasterium Abbatibus suscipitur, quam qui tentatus prius fuerit & probatus, nullum unquam recusaturus quamlibet arduum ac difficile indignumque toleratu Abbatibus imperium.* Mox subjungit duorum Monastici Ordinis Candidatorum exempla, quorum unus jubente Magistro medias clibani flammâs intravit illæsus, alter aridæ virgæ solo infixæ irriguam per biennium ministravit aquam è Nilo flumine per duo fere millia passuum petitam propriisque humeris quotidie convectam, donec tandem anno tertio floreret. Prò quantum non caperet DEI gloria inter mortales incrementum, si ad Sancta, ad justa, ac suavia præcepta ejus tam essemus animo alacres, quam fuere hi morigeri in rebus etiam durissimis, quos ultro nea religio hominibus mancipaverat! Sed ad præclaram obedientiæ virtutem pressius accedamus. Quid statuemus, si quid prælatus subdito mandat, de quo dubium est, piumne sit an impium, fas, an nefas, honestum, an indecorum? Laudabiliter is imperata exequetur, ac proin exequi tenebitur. Expendantur quæ Sanctus Bernardus *de præcept. & dispensat. cap. 12.* scripsit: *Quidquid vice DEI præcipit homo, quod non sit tam certum displicere DEO, haud secus omnino accipientium est, quam si præcipiat DEVS.* Sanctus itidem Bernardinus Senensis

Senensis in dialogo de obedientia: Vbi subditus rationaliter dubitat, an quod precipitur sit peccatum, vel non, tunc profecto obediret debet. Atque hæc memoratorum Patrum atque aliorum sensa ratione optimâ subnixi sunt. Rectus quippe ordo, & necessaria subditi ad superiorem comparatio postulat, ut nisi palam ille doceat, perperam quid præcipi, ac legi adversum, confestim obediat, qui obedire pro officio debet. Fallor, si non hæc mirificè firmentur rescripto INNOCENTII III. in cap. 44. X. de sent. excommun. species capituli hæc est: Mulier quædam turbati animo cœperat circa carnalem cum marito conjunctionem ac tori commercium, suspicabatur impedimentum consanguinitatis. Consultus Pontifex dispiciendum esse ait, an impedimentum pro certo sciat, quamvis apud Ecclesiam probare nequeat. Et tunc neque reddere conjugale debitum, neque petere poterit, quodsi à mariti complexibus divertatur, isque ceu spoliatus possessorio iudicio contenderit, jubeaturque divorfa mulier (cùm spoliatus etiam hic ante omnia sit restituendus, nisi paratæ in continentii probationes adducantur) ordinarii sententiâ ad pristinum torum redire, & imperata judicis detrectare debebit, & excommunicationis sententiam humiliter in Domino sustinere. Sin verò pro certo non sciat, sed credat tantum, interest, inquit Pontifex, utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levis & temeraria, an probabili & discreta? Et quidem ad sui pastoris consilium (conscientiâ levis & temerarie credulitatis explorat) potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Verum cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: ne in alteratro vel contra legem conjugii, vel contra iudicium conscientie committat offensam. En, ut mulier, quæ etiam discreto iudicio se se inter virumque conjugii impedimentum subesse credit, ac proin vetitam divinâ lege carnalem cum eo commisionem, nihilo tamen minus conjugale debitum reddere possit, ac cùm possit, reddere postulant teneatur, ne contra legem conjugii committat offensam, id est, ne jus viri offendat tandiu certum, donec manifestum sit

sic

fit subesse re ipsâ impedimentum. Pari sanè ratione in proposita specie imperanti superiori obsequi subditus tenebitur; & quamvis directo iudicio fortassis exillimet, nefas esse, quod à superiore præcipitur, formet dictamen reflexum hoc aut simili modo: *quamvis spectatis motivis directis illicitum videatur id agere, quia tamen incertum hoc est, & pro superiore prudens motivum est, licitè faciam, quod ipse præcipit, quia non obsequendo jus ejus infringere quod habet imperandi.* Ita obsequendo carebit culpa, & obedientiæ merito gaudebit. Et quamquam hic subsisti possit, utinam & hæc, & Augustini sententiam, quod etsi fortè regem iniquitas imperandi reum facit, militem tamen ordo serviendi ostendit innocentem, utinam cum animo expendant, qui supremi pastoris sui mandatis, decretis, constitutionibus obstinatâ mente obedire renuunt, quibus ferreâ lege statutum est obluçtari, calcitrare, tergiversari, criminari probos omnes ac viros maximè per alterum jam sæculum fide, doctrinâ religione in Ecclesia Dei undequaque spectabiles, in quibus nihil opinor magis pervicacibus illis ingeniis displicet, quàm ipsa eorum virtus & insigne meritum; quorum demum ea cura præcipua est, ut quidquid ab Apostolico culmine profectum est, sive Ecclesiam Pontifex pro officio doceat universam, sive disciplinam ejus moderetur, canino dente arrodant obtentibus centies recantatis, centies protritis.

§. XVI.

Nunc ad jus gentium ordine descendat discussio nostra. Hoc cum dicimus, neutiquam novum & distinctum ab eo, quod hactenus descripsimus, naturæ jure jus, sed speciem ejus intelligimus. Utrumque enim nobis est unum idemque, neque unum distinxerunt ab altero Priscus Græci & Latini, sacri & profani, distinctionem juris naturæ & gentium in scholas & forum introduxerunt interpretes sine ratione ulla, non sine magno jurisprudentiæ malo, ac plus nocuit distinctio juris gentium primævi & secundarii: Enimvero unde tandem jus, quatenus pro lege sumitur, proficisci potuit? profecto aut à Deo, aut ab homine; quod à Deo proficiscitur, divinum est, aut ratione solâ cognitum & toti humano generi

neri datum, quod jus naturæ dicitur, aut Mosis, Prophetarum, Christi & Apostolorum ministerio datum & promulgatum, id quod Theologi jus divinum positivum vocant. Quis toti humano generi jus præscribere, legesque dictare potuit, nisi solus & unus Deus? qui legem condit, necesse est, ut possit & poenas infligere violanti legem, & præmia decernere servanti legem, quis porro nisi solus Deus ab universo humano genere reposeat poenas spretæ legis, aut quis tandem alius servatæ legis præmia statuatur? Est autem jus gentium jus aliquod, quo omnes gentes adstringuntur, relinquitur igitur, ut sit jus naturæ a Deo profectum. At hoc jus naturæ aliquando obligat absolute nullo humano facto antegresso, ita religio erga Deum præcepta fuit statim ab ortu generis humani, imo siquid primo humani generis auctori præceptum fuit, utique id erat cultus Deo debitus, quam religionem Pomponius adseribit juri gentium l. 2. ff. de just. & jur. aliquando autem (quod quia nostri non potuerunt assequi, fixerunt distinctionem illam juris Gentium primævi & secundarii) jus Naturæ non obligat nisi præsupposito secutoque aliquo humano facto: Ita statim a condito humano genere Deus jure naturæ, quod omnium animis impressit & insculpsit, vetuit adulterium, vetuit furta, sed hæc omnia & similia sub conditione, si nascerentur homines, qui possent alienas nuptias contaminare, si secuta dominiorum distinctione genere humano aucto & multiplicato alienæ rei dominium interverti furto posset. Ita quoque Deus juris naturæ autor permisit, ut si quis nos per injuriam lacefferet, possemus eumdem vitæ ac multo magis libertate spoliare, eumque rursus è servitute in libertatem manumittere l. 4. ff. de just. & jur. Sed hæc omnia non suadent jus gentium à jure naturæ distingui oportere. Plane quoniam illud ipsum jus naturæ quod diximus, uti singulis hominibus officia sua præscribit, quibus naturalis, ad quem creati sunt, ordo conservetur, integris etiam coetibus seu civitatibus nullâ inter se juris civilis communione detentis applicari potest, tales autem civitates inter se consideratæ aliàs gentes dici solent, ideo jus, quod inter eas inter-

F

cedit,

cedit, jam vulgo juris Gentium nomen obtinuit, atque hoc sensu jus Gentium tamquam juris naturæ speciem inadæquatè, ut loquuntur, ab eo distinctam admittimus. Servatur hoc jus inter eos, quibuscum pax est, aut quibuscum bellum, ut & communis omnium salus, & partium imperium in tuto sit. Porro imperium (de summo sermo est) statui potest tripartitum, *Herile* seu *Despoticum*, *Civile*, & *Mixtum*. Herile est, quo populus in servitutem perfectam redactus ad regentis præcipuè utilitatem regitur. Hujusmodi fuit primum Asiaticum, quod & Barbarum Aristoteles vocat. Ejus initium ad Ninum referunt regem Assyriorum, de quo Justinus in historia sua. Nam cum principio rerum gentium nationumque imperium penes reges esset, quos ad fastigium Majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio proveheret, cumque fines imperii tueri magis, quàm proferre mos esset, ac intra suam cuique patriam regna finirentur, *primus*, inquit, *omnium Ninus rex Assyriorum veterem & quasi avitum gentibus morem novæ imperii cupiditate mutavit, hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos terminos usque Lybie perdomuit*; Hic in sacris paginis Nemrodus dicitur, id est Dominus metuendus, potentissimus itidem venator ac latro, quod non feras bestias, sed homines venaretur, & ad servilem conditionem vi palam abjiceret. Tali imperio & hodie ab ultimis Sinensibus ad usque Russos in Europam populi à despotis suis gubernantur, idemque in Africa omnique Barbarie servatur. Imperium Civile est, quo Princeps populum sibi subiectum salvâ libertate personali & proprietate rerum, ut tutor pupillum regens, actiones publicas ad communem ejus populi utilitatem principaliter dirigit. De hujusmodi imperante verissimum est, quod dicitur, fruendæ justitiæ causâ reges esse constitutos, & quod Seneca *lib. 1. de clementia scripsit, non Rempublicam Principis, sed Principem Reipublicæ esse*. Salvâ autem libertate personali & proprietate rerum cum dicimus, non excludimus jus eminens, quod in quolibet imperio etiam maximè civili ac propriè dicto civitas,

vitas, aut is, qui civitatis vice fungitur, ex ipsa civium præsumpta voluntate habet in personas, ac res civium, non tantum ex summa necessitate, quæ privatis quoque jus aliquod in aliena concedit, sed etiam ob publicam utilitatem; hoc enim jure libertas illa & proprietas non tollitur, sed restringitur. Mixti generis imperium dicimus, in quo subditi salvam, extra causam publicæ necessitatis vel utilitatis, personarum libertatem & rerum proprietatem retinent, ad utilitatem tamen alterius populi, cujus sunt accessio, principaliter reguntur, quod accidit his, qui bello victi agnoscere coguntur alienigenam dominum, quippe imperium, quod in eos exercetur, propriè herile non est, quamvis ipsi cœtum liberorum hominum constituere desinant, fiantque pars, ac membra minus digna civitatis alterius, in cujus ditionem concesserunt. Porro Imperia sunt vel patrimonialia, seu in pleno jure proprietatis, vel non patrimonialia, quæ jure usufructuario tenentur; atque hæc iterum deferuntur vel electione, vel successione, eaque vel simpliciter hereditariâ, vel lineali, & quidem aut Cognaticâ, aut agnaticâ, aut etiam mixta, seu ubi deficiente agnaticâ, id est, nullis plane maribus ex stirpe regia supersticibus, substituitur successio cognatica, qualis hodie in omnibus ditionibus Augustissimæ genti Austriacæ subjectis, justissimo sanctissimoque consilio, expressâ lege stabilita ac sancita est.

§. XVII.

Acquisitum autem imperium quin bello tueri ac conservare fas sit, ambigit nemo; Bellum justa est contentio quæ autoritate legitimâ movetur. Aliud offensivum seu offensivum dicitur, quod suscipitur ad vindicandam injuriam illatam, defensionis seu defensionis aliud, quo injuria imminens repellitur. Quæ in bello capiuntur, statim occupantium fiunt, adeo ut & liberi homines in servitutem deducantur. Atque ex his alia privatis & singulis quærentur, alia Principi aut populo. Privatis cedunt spolia, quæ singulari in dimicatione hosti detrahuntur, veluti in liberis & injussis excursionibus, puta ante omnem aliam ea de re legem civilem, ut quæ potest

est dominum aliàs acquirendum vi suã antevertere; Principi vel populo, quæ in actu belli publico capiuntur. At uti se ac sua tueri licet, etiam cum internecone totius exercitûs, ita an veneno hostem interficere liceat, aut immisso percussore? queritur. Sane cum Aquilius Asiatici belli reliquias conficere maturaret, ac fontibus venenum miscuisset ad deditionem quarumdã urbium, Florus in hunc modum: *Ea res, inquit ut maturam, ita infamem fecit victoriam, quippe cum contra fas Deum mores que majorum medicaminibus impuris in id tempus sacrosancta arma Romana violasset, & passim legas hostem veneno tollere nihil aliud esse, quàm per clandestina scelera atrociorum ac veneficiorum grassari: Quod & de Tarentino ac Perseo scripsit Livius. At Mucium Scævola historiarum monumenta quasi à re præclare gesta extollunt & ad posteritatis memoriam transmittenda; Hic cum Porſena rex Etruscorum studio Tarquinius Romam reducendi, quos ob vim vitio oblatam castissimæ matronæ Lucretiæ populi furor abegerat, urbis faucibus incubaret, regem per insidias in castris aggreditur, ibi cum stipendia fortè militibus partiretur, & scriba cum eo sedens pari ferè conatu multa ageret, Mucius purpuratum juvenem pro rege interfecit, de quo Seneca: *facere aliquid in illis castris felicius potuit, fortius non potuit; Imo ipse Porſena nihil nisi virtutem agnovit. Quid dicemus? Certè Grotius juris naturæ indagator profundissimus licere illa omnia putat, si jus naturæ merum & absolutum respicias; argumento ducto a fine ad media, quod in moralibus perpetuum est; at hoc si est, licebunt illa etiam per jus gentium, quod idem esse cum naturali contra quàm ille sentit, supra ostendimus. Nec est quod hic objiciat quisquam: moribus gentium si non omnium, certè meliorum hæc inter illicita & infamia censeri. Nam negabo mores gentium pro se jus constituere, ut ad quod requiratur superior: proin qui justum cœteroque bellum fovens adversus illos mores agit, videtur ruditatis quidem, at non injustitiæ posse argui, non secus atque imperitiæ inter gladiatores, ut ille ait, accusatur, qui non secundum regulas artis gladiatoriæ alterum vulneravit.**

neravit. Quod si urgeas, ex respectu communis utilitatis, & ad minuenda pericula, quæ crebra in bellis esse solent, videri convenisse inter gentes, ne talibus mediis à natura permissis uti liceat, non magnopere refragabor, verum hoc supposito jam ex ipso naturæ jure, quod jus pacta servare jubet, prohibitio illa se se exferet. Quamquam cum & illa, quæ ratio honesta aut oppositis meliora esse indicat, et si non debita, dici soleant juris naturalis, honestius autem esse, suam hosti defensionem salvam relinquere, quam venenis adversus eum, aut ejusmodi insidiis grassari, ipsa illa Gentium consensio probet, etiam hoc sensu talia juri naturali repugnare dici queat. Porro bello moto sæpe fœdera utrimque icipiuntur, sæpe induciæ, sive ab armis & armorum vi ad tempus cessatio, sæpe pacta, quibus aut queritur quidpiam, aut remittitur, aut pacificentibus particitur, aut variè varia alia. Hæ autem conventiones omnes ex æquo & bono interpretationem capiunt, neque ad stricti juris normam redigi possunt. *Facili jure*, inquit Tullius, *æquitas præscripta est*. Scrupulosa proin indagines omnes ac disputationes de apicibus juris abesse à Principibus longè debent, quos oportet solam veritatem, simplicemque integritatem intueri. Absit igitur falsiloquium omne, absit dolus, quo conventio extorqueatur. Improbè proin egit Themistocles, qui cum vereretur, ne post navalem Atheniensium victoriam Xerxes etiamnum in Græcia subsisteret, Græcosque in novas angustias induceret, simulatâ amicitia Xerxen monuit, ut abiret è Græcia, antequam exitus ipsi à Græciis interdiceretur, plura insuper mendaciter cumulans. At an mendacium licitum per quod hostis fallatur, qui alias fallitur justè, illustris occurrit conventionis species, quam sacræ paginæ memorant *Josue IX*. Qui habitabant in Gabaon, cum audissent cuncta, quæ fecerat Josue Jericho & Hai, callidè cogitantes ac longi itineris mentientes peregrinationem, inito fœdere, medioque juramento vitam à Josue ac primoribus populi impetrarunt. *Josue inito fœdere* inquit sacer textus *pellicius est, quod non occiderentur, principes*

eiper autem multitudinis iuraverunt eis: post dies tres à foedere inito detecta Gabaonitarum fraus ac cognita machinatio. Audiverunt quippe Josue ac primores, quòd in vicino habitarent & inter eos futuri essent. Fecit tamen Josue ut dixerat, & liberavit eos de manu filiorum Israel, ut non occiderentur. Qua in re arbitror Josue ac primores populi iurandi religionem pro eo ac debebant exsoluisse. Exulare & à publicis conventionibus omnis debet sinistra interpretatio, quâ contracta eludatur obligatio, ac color perfidiae quaratur. Merito proin Alexandri fides accusata est, qui eos, quibus comœatu concesso abitum indulserat, in itinere interfici iussit. Sed & sceleratè egère Thraces, qui cum Thessalis triginta dierum pacti inducias noctu agros populabantur, dierum se dicentes, non noctium inducias pepegisse. Et Plataensium in restitutione fraus improba, qui cum captivos reddere promississent, necatos reddiderunt. Plura id genus alia sparsim historiarum monumenta suppeditant.

§. XVIII.

Qua verò qualisque in conventionibus publicis illibatâ utrimque fide data adhiberi jure interpretatio valeat, jam verus atque ad disceptationem sæpius revocata contentio circa foedus Romanorum ac Carthaginensium huic rei materiam dedit. Scribunt Livius ac Polybius in hunc modum. Finito in Sicilia bello foedus istum inter Romanos ac Carthaginenses: Inter coeteras conditiones hæc erat: *Utriusque populi socii ab utroque populo tuti sunt.* Posthæc Annibal obsedit saguntinos, quos ab isto foedere in societatem adseverant Romani. Hi Carthaginenses ruptæ fidei postulabant; Negabant Illi se reos, quòd conventio ad eos socios pertineret, qui tempore foederis erant, non ad eos, qui noviter adseverant fuerant. Hugo Grotius à Carthaginensibus stat, à Romanis Livius ac Polybius, quorum sententia verior est. Lucem, nisi me opinio fallit, rei grandem attulit POMPONIVS in l. 23. ff. de Servit. pr. ed. urban. Proponitur servitus hoc pacto constituta: *ut lumina sint, uti nunc sunt.* Ait Jurisconsultus,

tus, de futuris luminibus nihil cautum videri: Rectè: nam futura lumina in conventionione perspicuè excepta sunt, quando oratio ad præsentia lumina contracta est. Subjungit dein speciem alteram, quâ generaliter cautum sit, *ne luminibus officiat*: respondet ambiguam esse orationem, *utrumne his luminibus officiat*, quæ nunc sunt, an etiam his, quæ postea quoque fuerint: Et quamquam siquid strictius interpretemur, etiam hæc oratio ad præsentia duntaxat lumina porrigatur, tamen humanius est, inquit Jurisconsultus, *verbo generali omne lumen significari, sive quod in præsentia, sive quod post tempus conventionis contigerit*. At si alicubi, certè in publicis conventionibus humanitas operetur necesse est. Fœdus autem similiter ictum est, verbo *socii* generaliter expresso. De sociis tempore icti fœderis mentio nulla, quâ conventio ad hos solos restringeretur. Dicamus amplius quod res est. Legat quis cognatis suis: Quærit Ulpianus in *L. 19. ff. de reb. dub.* an his solis legatum debeat, qui tempore conditi testamenti cognati erant, an & his quoque, qui cognati reperiebantur, cum in fata concederet testator? Ait & his deberi legatum, tametsi per arrogationem moriente testatore cognatus quis esset. Haud ab similia scribit in *l. 4. ff. de liber. & posthumis*, quæ si pensulatè considerentur, deprehenduntur mirificè ad rem præsentem facere. Memorant & inter Philippum Hispaniarum & Henricum Francorum Reges conventionem initam nonis Februarii anno 1555. ut ab eo die bellum suspenderetur. Eodem die Dux exercitus Francorum præsidium Hispanorum expugnavit: Controversia suborta est, rectène ac jure belli, an injuriâ per Gallos præsidium captum esset; quasi tum captum, cum bellum jam per inducias suspensum esset? Quod æquius videtur: Nam licet particula *A* sit exclusiva ejus, cui præponitur, atque ideo dies pactarum induciarum in termino non videatur computandus juxta tritum illud ac pervulgatum: *Primus dies termini non computatur in termino*: hæc quidem amara est interpretatio, quam respuit specialis induciarum favor, quibus humano sanguini parcitur, ac salus omnibus tantisper in tuto collocatur.

Nec

Nec movet, quòd ad Ducem exercitùs Francorum nondum induciarum notitia pervenisset, induciæ autem, quamvis confessim contrahentes obligent, subditos tamen utrimque non ante obstringunt, quàm formâ legis acceptâ, utique per publicationem, omnium aures pullaverint; Id namque hæctenus verum est, ut subditi poenâ nullâ teneantur: at non ideo minus sarcindum est damnum illico ab induciis maximè per duces datum.

Coronis digressionis Canonicae

Sit de inferioribus beneficiis discussio. In his alia duplicia vulgo statuunt, quibus cura animarum, dignitas aut personatus coharet, simplicia alia, quibus præter diurnum divini officii pensum annexum est nihil. Alia compatibilia, quæ simul obtineri possunt, alia incompatibilia. Atque hæc duplicis generis sunt, primi & secundi ordinis. In his obtento altero non vacat prius ipso jure, vacat in illis. Alia secularia, quæ secularibus Clericis, Regularia alia, quæ rigidiori vivendi norma adscriptis tribuenda sunt. Alia demum Electiva, ad quam per electionem, collativa alia, ad quæ per collationem pervenitur. Levioris momenti sunt, quæ præterea de beneficiorum divisione apud Interpretes plena manu sparguntur. Faciamus operæ pretium majus, de Compatibilibus atque incompatibilibus dicendo. Certè beneficiorum compatibilitas antiquis Canonibus incognita est. *Singula Ecclesiastici juris officia* (Gregorii I. ad universos Episcopos mandatum est) *singulis quibusque personis singulatim committi jubemus can. 1. dist. 89.* Quid exerte præcipi aut caveri poterat, si non hoc exerte cautum est? Murum tamen hunc procedente tempore perruerunt. Nam cum pluralitas quidem prohiberetur, at poena in delinquentes nulla decreta esset, cœperunt invitis sacris Canonibus & plura simul beneficia cumulare & cumulata retinere: donec in Concilio Lateranensi decretum est, ut *qui dignitates diversas Ecclesiasticas & plures Ecclesiarum parochiales contra sacrorum Canonum instituta recipere, qui recepit, quod contra SS. Canonès accepit, amittat* cap.

cap. 3. X. de Cler. non resid. Hanc pœnam primùm in cumulan-
 tes latam mitiore dein moderamine temperavit Alexander
 III. in cap. 7. X. de præb. & dignit. ut habens plures Ecclesias unam
 tantùm retinere possit, quam maluerit, optione factâ utranz ve-
 lit dimittendi. At opportuniore medio usus est Innocen-
 tius III. in cap. 28. X. eod. ut quicumque receperit aliquod bene-
 ficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium
 habebat, eo sit ipso jure privatus, & si forte illud retinere contende-
 rit, etiam alio spoliatur. Quod auxit Joannes XXII. in extra-
 vagante Execrabilis, ut etiam alio ipso jure spoliatus existat.
 Quamquam benignius existimem, tuto alterum retineri, quam-
 vis primùm mox ab adepta pacifica possessione secundi non
 dimiserit, usque ad judicis sententiam. Atque hæc ut sacri
 Canones contra serpentem indies nonnullorum aviditatem
 religiosè ac providè sanciverit, ita & laudatus Innocentius III.
 rectè in hunc modum constituit: *Circa sublimes tamen & li-
 teratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorande, cum
 ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari.*
 In sublimibus quidem personis, ut eminentiore vivendi
 modo eorum natales decorentur, sive ut Pontificis
 verbo utamur, ut statum suum juxta gradum sue nobilitatis decen-
 tius tenere valeant: In literatis, ut præmium nanciscantur la-
 boris, studiique, quo universum orbem illustrant. Atque
 hac ratione cumulata beneficia qui accusant, nã hi more suo
 criminandi pruritu Romanæ sedis autoritatem temerant. At
 hos supra notavimus. Unum hoc jungimus: ut ne numero,
 uti rationum pondere impares sint, turbas in subsidium advo-
 cant puellares, scemineas, aniles, quas de mandatis, decre-
 tis, constitutionibus Pontificiis haud rarò differentes audias,
 quasi si sybillina palam folia recitarent, aut oracula funderent
 de tripode. Sed ad rem redeamus. Saluberrimas, de quibus
 jam jam, sanctiones ita aliqui interpretari cœperunt, ut plura
 quidem curata, dignitates, personatus in titulum ac seorsim
 habere non liceret, liceret viâ unionis, aut commendæ:
 Cui rei medicantem denuò manum synodus Tridentina ad-
 movit sess. 7. c. 4. districtè prohibens, ne quâ viâ unionis, aut
 commen-

commendæ fas cuiquam esse beneficia cumulare. Porro Ecclesiarum, personatum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscitur Pontificem pertinere *cap. 2. de præb. & dignitat. in 6.* ut tamen & Episcopo cuiuslibet in sua diocesi ordinario iure facultas competat beneficia conferendi. Subinde & inferioribus aliis. Est autem facienda beneficiorum provisio, si majora sint, intra trimestre, intra semestre si minora. Quod tempus non à primo die, sed à momento notæ vacationis currit. Sin in conferendo negligentia admittitur, jus providendi gradatim ad superiorem devolvitur. Sed an negligentia moram purgare collator potest? Et hoc magis arbitrator.

§. XIX.

Imponant & coronidem tractatui nostro modi, quibus omnis obligatio tollitur. In his principem locum obtinet solutio, quæ naturalis est præstatio ejus quod debetur, si tamen solutum fuerit id quod ipsum debebatur, & eo quo debebatur modo: Unde qui servum ex stipulatu stichum debuit, si statu liberum solverit, non liberabitur, quod non in plenum stipulatoris hominem fecerit: nec tamen repetere possit, quòd debitum dederit. Atque hunc Neratius casum refert, ut quis id quod solverit repetere non possit, quasi debitum dederit, nec tamen liberetur *l. 63. ff. de cond. indeb.* Necesse insuper est, ut qui ad dandum obstringitur, rei dominium efficiat creditoris quoquo modo *l. 75. §. fin. ff. de V. O.* hinc merito à Pomponio scriptum est in *l. 20. ff. de solut. & liberat.* Si rem meam, quæ pignoris nomine alii esset obligata, debitam tibi solvero (singe etiam pro pecunia debitam) non liberabor, quia advocari tibi res possit ab eo, qui pignori accepisset. Perimit & obligationem acceptilatio, quæ imaginaria est solutio, perimit & novatio, voluntaria utique, dum conventionem partium obligatio una in aliam transfunditur, non necessaria, quæ per litis contestationem induci intelligitur. Planè illa obligationem ita extinguit, ut & cursus sistatur usurarum & fidejussores ac pignora li-
beren-

berentur, nisi de his in ipsa novatione convenerit, quo casu prioris ordinis prerogativam salvam fore existimo. At lite contestata usurae currunt, fidejussores ac pignora obligata manent: Neque enim per contestationem litis aliter induci novatio creditur, quam qua actor conditionem suam non deteriore, sed potius meliorem faciat: Hinc elegans est Imperatorum Dioclet. & Maxim. rescriptum in l. 4. Cod. unde vi. Interdicto unde vi teneri praedonem, etiamsi res interierit intra tempora judicati actionis. Extinguit & debitum utrimque compensatio, si modo quantitas ejusdem generis utrimque liquido debeat (neque enim illiquidum cum liquido compensatur.) Opponitur non tantum ipsi creditori eidemque debitori, sed & ejus cessionario. Quod nisi statuas, consequens est, ut omnis compensationis utilitas sublata intelligatur. Quaestum est, an qui juravit solvere, salva jurisjurandi religione compensationem valeat objicere? ita existimo. Animus erat paulo haec fusiis (est enim hic difficultatum pelagus) excutere, ac tum retro legendo vestigia, an & quem praedicta in foro usum habere possint (nam leges mores in potestatem suam traduxerunt quod ille ait) ostendere. Sed vela contrahenda sunt, quare pauca tantum hic subungere lubet impertinentia

I.

Camerae Imperialis jurisdictionis in causis ab Imperatore ad eam remissa est delegata.

II.

Neque litis contestatio neque citatio ad praeventionem iudicii Cameralis a parte actoris requiritur, sed & decretum denegatorium eandem operatur.

III.

Litis contestatio, imo conclusio in causa non semper impediunt,

G 2

quo

quo minus ea ab uno supremorum Imperii dicasteriorum
ad aliud devolvi possit.

IV.

Vagabundus quamvis non immediatè Imperio sit subjectus, ta-
men in Camera conveniri potest.

V.

Non semper qualitas cause nec qualitas personæ fundat ju-
risdictionem Cameralem, sed interdum utriusque ad id
requiritur.

VI.

Non omnis persona Cameralis in Camera conveniri potest.

VII.

Magistratus peragens executionem sententiæ criminalis non
semper habet merum imperium.

VIII.

L. unic. Cod. quando Imperator inter pupillos, viduas vel
alias miserab. pers. adhuc est in viridi observantia, ne-
que dissentit Gail. lib. 1. obs. 1.

IX.

Persona miserabilis cum alia ejusdem conditionis in foro con-
trovertens utitur privilegio suo seu d. l.

X.

Austregarum beneficium personis non territorio inheret.

XI.

*Non semper à qualitate Rei censetur privilegium austre-
garum.*

XII.

*Fatale introducendæ appellationis non semper est quadri-
mestre.*

XIII.

*Etiam mediati in quibusdam causis in supremis Imp. dicaste-
riis absque violatione jurisdictionis territorialis in pri-
ma instantia conveniri possunt.*

XIV.

*Austregæ in causis litigiosæ possessionis tam in casu primo quam
secundo hodie cessant.*

XV.

*Pignoraciones de Jure Germanico sunt licitæ, & tantùm per
O. C. in specialibus circumstantiis prohibitæ.*

XVI.

*In constitutione de pignoracionibus pro immediato ille demum
habetur, qui & immediata bona possidet, & ratione
horum pignoratus fuit.*

XVII.

*Mandatum de non amplius turbando cum mandato auf die
Pfandungs-Constitution ne quidem C. C. decerni
potest.*

XVIII.

*Constitutio de arrestis lata in R. F. de 1570. §. 84. etiam lo-
cum habet in causis criminalibus immediatorum.*

XIX.

*Instrumenta guarentigiata in Camera non operantur proces-
sum executivum.*

XX.

*Pactum obstagii adhuc hodie in Archidicasteriis utilitatem
præstare potest.*

XXI.

*Etsi R. J. de 1551. abrogatus dici nequeat, dispositio tamentil-
lius §. 79. non attenditur in cambiis Judæorum à Ma-
gistratu non confirmatis.*

XXII.

*Revisio à paritoria prima ad Mandatum executoriale S. C.
interposita valet.*

*Si quæ fortè præ festinatione irrepserint vitia benevolus
lector corriget facile.*

O. A. M. D. G.

DAnt apices juris Tibi, scandere culmen honoris,
Quam sibi præcipuum Justinianus habet;
Abstrahis à praxi, speculans theoremata ponis,
Quæ fundamentum praxeos esse solent;
Te licet in praxi nôrit Wetzlaria firmum,
Ast Theorematis cedere cuncta probas;
Ingeniû specimen subtilis prodis abunde,
Quo tempus studiis omne dedisse doces;
Wetzlariam repetes, ubi consiliarius audis,
Consiliis cunctis omnia fausta precor!

*Ita Nobilissimo & Consultissimo Domino Neo-Doctori igno-
tus Ignoto amico gratulatur*

F. R. W.

103 (o) 103

Erffest, Diss., 1735

ULB Halle 3
005 367 840



v>18





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1773571

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
OBLIGATIONIBVS
ET ACTIONIBVS,
ILLARVM NATVRA, VI, POTE-
STATE ATQVE EFFECTV CVM EX
PLACITIS IVRIS CIVILIS, TVM EX PRINCI-
PIIS IVRIS NATVRÆ ET GENTIVM.
JVNCTA
DIGRESSIONE CANONICA
DE
PRÆBENDIS ET DIGNITATIBVS.

QVAM
EX DECRETO
INCLYTÆ FACVLTATIS IVRIDICÆ
IN ALMA VNIVERSITATE ERFORDIENSI
DEO ASPIRANTE ET PRÆSIDE
PRO SVMMIS IN VTROQVE IURE HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS CONSEQVENDIS
PVBLICÆ DISPVTATIONI EXPONIT
J. CONRADVS BIRCKENSTOCK
Erbacensis Rbingavus.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI HORIS CONSVETIS
DIE XVII. OCTOBR. A. MDCCXXXV.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

